

Voelkerling, Fridericus Aemilius
De rebus siculis ab Atheniensium expeditione usque ad prioris belli punici finem gestis


DE REBUS SICULIS
AB ATHENIENSIUM EXPEDITIONE USQUE AD PRIORIS BELLI PUNICI FINEM GESTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
HISTORICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE IX. M. MARTII A. MDCCCLXVIII H. XI
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

AEMILIUS VOELKERLING,
SAXOBORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
HERMANNUS MAAS, MED. ET CHIR. DR.
BERTHOLDUS MUELLER, SEM. PHIL. SOD.
GUILELMUS POHLA, PHIL. DR.
JULIUS ZUPITZA, PHIL. DR.

VRATISLAVIAE.
TYPIS F. W. JUNGFERI.


LIBRARY
APR 21 1967
UNIVERSITY OF TORONTO

ARNOLDO SCHAEFERO

PHIL. DR. HIST. PROF. P. O.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

SACRUM.

I.

Prooemium.

Quum Syracusae ex parva Corinthiorum colonia ortae omnium Graecarum urbium in Sicilia florentissima et frequentatissima exstitissent atque egregiis victoriis, quas de Carthaginiensibus et de Etruscis et modo de Atheniensibus reportaverant, Siciliae principatum jam haud dubie obtinerent, bellum coortum est gravissimum et memorabile, quo de insula decertabant duae potentissimae nationes. Nam Carthaginienses, qui septuaginta per annos, quamvis jam pridem colonias Graecas aemulati essent, intra fines suos se coërcuerant, tum rerum necessitate quadam coacti [1]) de rebus ultra fines suos pertinentibus judicare et imperium longius proferre conati sunt. Qua in re fieri non potuit, quin magnopere adjuvarentur dubio et infirmo Siciliae statu. Quamvis enim opibus, artibus, litteris non solum in terra patria, sed in Sicilia quoque florerent Graeci, magis magisque hoc saeculo mores a majorum simplicitate abhorrescebant et corrumpebantur, ingenium sincerum integrumque non satis servabatur a contagione accolarum, variorum hominum commercio crescebant luxuria et avaritia, communis denique patriae amor evanescebat [2]). Atque ubi contra hostes externos et contra Ducetium, Siculorum ducem, secundo Marte certatum est [3]), res publicae Graecorum a barbarorum metu liberatae singulae inimicitias et bella inter sese commovebant, sive quod de finibus et de commercio oriebantur controversiae, sive quod urbes Doriensium et Jonum movebantur inveterato

---

[1]) Cf. Mommseni hist. Rom. I. p. 493 sq. 499 ed. IV.
[2]) Vide verba Alcibiadis ap. Thuc. VI, 17.
[3]) Diod. XI, 88—92. XII, 8. 29 sq.

illo odio[1]). Sic factum est, ut discordia omnium vires et facultates hostibus externis resistendi paullatim extinguerentur. Huc accedit, quod res publicae Siculorum et vel maxime Syracusanorum civitas, quae peregrinos hostes, quominus alienae rei se immiscerent, prohibere poterat sola, jam dudum interno factionum discidio et legum urbanarum vitiis aegrotabant. Syracusis enim antehac mercenarii et cives novi a Gelone in civitatem recepti, ut ascenderent ad omnes honores, frustra certaverant[2]); quibus rebus profligatis, quum Tyndaridas quidam largitionibus pauperes concitasset novisque rebus studeret, novae rerum perturbationes secutae sunt. Talia pericula ut praecaverent, cives πεταλισμῷ illo instituto optimum quemque, quum videretur institutis legibusque insidiosus esse, aliquamdiu ex urbe ejecerunt[3]). Quibus rebus civitas commutata est ita, ut jam omnia non ex bonorum vel nobilium, sed ex populi universi arbitrio gererentur[4]); denique vero quum una omnis civitas consurrexisset atque acriter et gloriose contra Atheniensium impetum urbem defendisset, omnis vis ad plebem ejusque concionatores deflexit[5]). Itaque quum alii alio res traherent et eorum progressionibus concordia et opes dilaberentur, nec viri et virtute et peritia insignes exsisterent, qui temporibus pares essent, vix ulla resistendi ratio reliqua esse videbatur, praesertim quum Carthaginienses, ubi primum Hannibale et paullo post Himilcone ducibus bellum in Siciliam transtulerunt, fortuna summa ubique uterentur. Brevi igitur tempore ita superiores exstiterunt, ut periculum adesset, ne totam insulam ac ceteras quoque Graecorum colonias ad oras maris Tyrrheni sitas in dicionem redigerent. Fuit autem illud tempus profecto opportunissimum, quo Phoenicum gens spe animoque jam orbis terrarum imperium complecteretur vel imperium late extensum in Europa constitui posse existimaret. Colonias enim Graecas tum nulla terrae patriae civitas adjuvare potuit, quippe quae bello Peloponnesiaco incumbentes ad perniciem aut Doricae aut Jonicae gentis patriam dilacerarent totam et quantum habebant virium, tum effunderent. Sic Carthaginiensibus, re publica jam dudum bene constituta atque imperio Africo satis firmato[6]), Sicilia semper dominationis

---

[1]) Thuc. III, 86. V, 4. Diod. XII, 8. 53 sq. cf. E. Curtium. hist. Graec. II. p. 465 sq.
[2]) Diod. XI, 67 sq. 72. 76.
[3]) Diod. XI, 86 sq.
[4]) Thuc. VI, 72 sq. VII, 55. Aristot. Politic. V, 10, 3.
[5]) Aristot. Politic. V, 3, 5 sq. Diod. XIII, 34—35.
[6]) Justin. XIX, 2. Dio Chrys. orat. XXV, p. 522 ed. Reisk. Cf. infra pag. 36.

praesidium in Europa fuisset[1]), nisi unus vir bello Syracusis rerum potitus et paullo post totius fere insulae imperium nactus hostem peregrinum ab uberrima Europae insula rejecisset. Quae quidem res atque inprimis ea bella, quae usque ad alteram pacem a Dionysio cum Poenis factam sunt gesta, permagnam vim quum ad culturam humanam et ad res militares, tum ad fata omnium Europae gentium habuisse satis apparet. Repulsis enim anno 392 a. Chr. n. Carthaginiensibus et subjecta maxima Siciliae parte Dionysii opes adeo auctae sunt, ut Poenorum progressus in longum tempus terminaret et coërceret[2]). Deinde vero tyrannis succedentibus nova cum Poenis bella exorta et rebelliones Graecorum saepius factae opes comminuerunt utrorumque, qua re fieri potuit, ut Romani postea omnium gentium imperio potirentur, atque ex Italia medio in orbe Romano sita longe lateque cultus atque humanitas flueret[3]).

II.

De fontibus.

Rerum Sicularum, quae Atheniensibus devictis usque ad annum 392 a. Chr. n. gestae sunt, copiosiorem et fere perpetuam narrationem habemus unam in Diodori Siculi bibliotheca historica. Quam quidem quodammodo supplent, quae disperse et diffuse quum apud alios rerum scriptores, tum praecipue apud philosophos et rhetores reperiuntur. Sed quum hi, plerumque nihil nisi exempla ad comprobandas doctrinas suas in rebus gestis quaerentes et praeterea florem orationis sectantes, saepissime de fabellis et facete dictis cogitarent, ne ad errorem rapiamur, inprimis videndum erit, quae nimium depicta atque adeo ad libidinem et arbitrium ficta nobis tradiderint. Sed hic non locus est subsistendi in rebus singulatim suo tempore tractandis; ad Diodorum redeamus, qui solus res quemadmodum gestae sint, ab initio exponere studuit. Accedit, quod nihil repugnat, quum hic plerumque disputationes sermonesque defugiat, quominus de Siculorum vita publica,

---

[1]) Summi momenti inprimis bellis Punicis fuisse possessionem tam opulentae insulae facile intelliget quisque ex Ritteri Europa (praelect. ed. Daniel) p. 302.

[2]) Errat Mommsenus (hist. Rom. I, p. 500) quum contendit: »Regelmässig ging von den Karthagern der Angriff aus,« nam a Dionysio majore Carthaginiensibus bellum semper illatum est, cf. Diod. XIV, 41. 45—47. XV, 15. 73.

[3]) Cf. Ritteri Europam (praelect. ed. Dan.) p. 273.

de civitatum factionibus et discidiis atque de Dionysii ingenio moribusque, rei publicae capessendae consilio, usu rei militaris ipsis e rebus gestis satis recte judicemus. Sed quum Diodorus aliquot saeculis post, Caesaris et Augusti temporibus vixisset[1]) et prioris aetatis scriptorum libris leviter excerptis[2]) omnem rerum memoriam breviter complexus esset, quibus auctoribus sive Dionysio aequalibus sive proxime sequentis aetatis usus sit quantumque hi habeant auctoritatis et fidei, primum quaerendum erit.

Atque principe quidem, ut ordinem teneamus, eoque gravissimo auctore eum usum esse constat Philisto, qui ineunte fere bello Peloponnesiaco bonis et opulentis parentibus natus Syracusis ipsis vixit et ut Dionysius regnum occuparet, quum adultus esset, magno opere studuit[3]). Tyranni in re publica consilia secutus et summis honoribus functus[4]) quum tam insolentem et superbum se praebuisset, ut quamvis invito tyranno Leptinis filiam in matrimonium duceret et majora etiam moliretur[5]), una cum Leptine a. 386 patria expulsus Thurios se contulit[6]) atque inde paucis annis post Hatriam transmigravit[7]). Hic quum otio abundaret, summa ope, ut in pristinam dignitatem restitueretur, enixus libros composuisse traditur, qui Dionysii dominationem illustrarent[8]). Sed quod voluit, regente hoc tyranno non assecutus est. Viginti denique annis fere peractis ab altero Dionysio in patriam revocatus et in

---

[1]) Diod. I, 4.

[2]) Cf. Niebuhrii judicium (Kl. hist. Schriften I, p. 379. Vorträge über alte Geschichte III, p. 204.)

[3]) Plut. Nic. c. 19. Diod. XIII, 91. Todt (in diss. »Dionysius I. von Syracus,« quae inserta est programmati gymn. Trept. a. d. R. a. 1860) unde certo sciat (cf. p. 8), Philistum sub finem anni 406 duodetriginta annos natum fuisse, me latet, e loco enim, quem affert (Diod. XVI, 16), nihil apparet, nisi Philistum a. 356 esse mortuum. Paullo majorem quidem natu fuisse Philistum, quam Dionysium I, ex familiaritatis ratione, quae inter illum et Dionysii matrem intercessit, potest concludi, cf. Plut. Dion. c. 11.

[4]) Diod. XIV, 8. XV, 7. Plut. Dion. c. 11, qui a posteriore Diodori loco discedit alia in re.

[5]) Plut. Dion. c. 11. 36.

[6]) Diod. XV, 7. Grotius (hist. Graeciae vers. Meissn. VI, p. 29 not. 72) annum putat non rectum esse. Refutare eum non est difficile, sed ab hoc loco alienum.

[7]) Plut. Dion. c. 11. cf. Mommseni hist. Rom. I, p. 313. Fallitur Diodorus l. l., qui eum una cum Leptine Syracusas rediisse narrat; ex omnibus enim aliis locis apparet, diutius eum ad Adriam versatum esse. Quo verisimile est eum se contulisse, quum Leptines a Dionysio I esset revocatus.

[8]) Paus. I, 13, 9.

familiaritatem receptus est[1]). Sed mox quum ad senectutem jam pervenisset et ad finem vitae in sententiis suis de re publica pristinis permansisset, a Syracusanis ad libertatem conclamantibus proelio navali fusus a. 356 mortem sibi ipse attulit[2]). Libri igitur de universa Siciliae historia atque inprimis illi de Dionysio majore libri quattuor, quos Philistus non aequalis solum et civis Syracusanus, sed vir etiam usu rerum civilium praeditus atque ipsis rebus gestis ad scientiam rei militaris eruditus confecit, quin uberrimam copiam ad res Siculas ennarrandas praebuerint, dubitari non potest[3]). At quaeri potest, num praeclare historiam scripserit. Ac studium quidem, quamvis Thucydidem non aequaverit, certe laudatur[4]), neque ingenium improbari videtur, quippe quum ob diversas virtutes optimis historiarum scriptoribus et summis Graecorum poëtis tragicis par sit judicatus[5]). Sed fides ejus infamatur; nam sicut in re publica se talem praestitit, ut cum utroque Dionysio faceret, sic scriptis suis studium significasse et quod

---

[1]) Plut. Dion. c. 11. Nep. Dion. c. 3.

[2]) Plut. Dion. c. 13. 14. 25. 35. Diod. XVI, 6. 9—11. 16. De ipsa mortis ratione differunt singuli auctores Timonides, Timaeus, Ephorus. Cum Ephoro, cujus narratio a Plutarcho servata est, consentit Diodorus; huic maxime credendum est, quum Philisti mortem non tot artificiis rhetoricis adornaverit: Philistus, qui, quid ipsi immineret, si vivus ab hostibus caperetur, haud ignorabat, ipse sibi mortem conscivit. Grotii sententia (hist. Gr. VI, p. 82 vers. Meissn.) medium quiddam inter diversos nuntios appetens, mihi falsa videtur.

[3]) De Philisti scriptorum catalogo Suidas et Diodorus diversa tradunt. Goeller (de orig. et situ Syrac. p. 129) discrepantiam quidem sustulit, verum singulas res a Dionysio gestas non recte distribuit ad singulos illos historiae quattuor libros (cf. p. 132). Primo enim libro certe etiam alterius belli praeparatio continebatur. Cf. cum Philisti fragm. 34 (ap. C. Muellerum fr. hist. Gr.) copiosam omnium apparatuum descriptionem, quam Diodorus (XIV, 41—46) sive ex ipso Philisto, sive e scriptore aliquo Philistum secuto hausit, quum de prioris belli praeparatione nihil renuntiet, utpote ante quod ne ipsi quidem Syracusani consenserint, quid esset faciendum contra imminentem barbarorum impetum nec Dionysio a. 405 gravioris belli parandi tempus datum sit. Quarto Philisti libro continebatur tempus circiter ab a. 385 usque ad Dionysii I mortem (cf. Philisti fr. 42), quia fragmenta ex eo servata urbium tantum nomina exhibent, quae in mediae Italiae ora erant sitae. Quam ad oram Dionysium ante a. 385 non pervenisse ex Diodori narratione elucet. Quod vero Philistus dimidium fere posterius Dionysii regni uno quarto libro complexus est, haud ita mirum; nam quo diutius morabatur in exilio, quod tum subierat, eo minus intererat, quomodo illi res evenirent; praeterea concludi licet, nuntios qui ei Hatriam ferebantur, coepisse manciores esse.

[4]) Cic. epist. ad Quintum fratr. II, 11 (13), 4. ed. Klotz. Quintil. inst. orat. X, 1, 74. Cic. de orat. II. 13, 57.

[5]) Dionys. Hal. tom. VI. p. 767. Plut. Alex. c. 8.

occupaverant regnum laudibus nimis extulisse traditur[1]). Attamen fidem, quam fortasse interdum augendo aut tacendo non retinuit, prorsus ei derogare non possumus; nam quum rem publicam in periculum adduci, nisi gubernacula regeret unus, ei esset vel maxime persuasum[2]), illud quidem nemo non fateatur necesse est, non tam scriptoris fidem, quam viri consilia de re publica improbari. Sed quum ne maledicus quidem ille Timaeus ubique ejus odium professus, nisi in rebus nullius momenti, eum convincere potuerit, acquiescere sane in illo judicio licet, quod de Philisto auctore suo fecit Ephorus, vir simplex et sincerus[3]).

Atque hunc quidem Diodoro fuisse fontem quum alterum tum optimum facile apparet. Quo anno is natus sit, in veterum scriptis non legimus, atque id ipsum, quod de ejus aetate Suidas nobis tradidit, suo jure a C. Muellero in dubium vocatur. Nam quum perpetuam rerum gestarum historiam eamque Graecorum primus tractaret, dum Alexander magnus Persarum regno bellum intulit[4]), non nonagesimae tertiae, sed centesimae tertiae olympiadis tempore floruisse videtur[5]), ut in principatum et imperium gentis aeolicae, ad quam originem suam retulit[6]), prima ejus aetas et educatio incideret. Ab Isocrate praeceptore impulsus quum ad historiae studium se applicasset[7]), otium ac tranquillitatem vitae secutus est ita, ut quum civilium rerum imperitus, tum rei militaris rudis libros suos componeret litterarum tantum in studio versatus[8]). Ut vero semper studiosus et legendo indefessus veterum scripta perscrutatus est atque singulari diligentia et fide, ubicunque potuit, aucto-

---

[1]) Paus. I, 13, 9. Timaeus ap. Plut. Dion. c. 36. Ceterum Plutarchus Timaeum reprehendit ob nimia et perpetua Philisti convicia, cf. Nic. c. 1.

[2]) Nep. Dion. c. 3. Plut. Dion. c. 13. cf. c. 36: σπουδὴ καὶ πίστις τοῦ Φιλίστου ὑπὲρ τῆς τυραννίδος. Certe in Philisti libris res gestae et consilia tyranni l i b e r e erant posteris tradita, quae nobis sunt improbanda, quum ipsum pro ejus de civitate regenda sententiis non offenderent.

[3]) Ephorus saepius Philisto auctore usus est eumque ut bonum rerum scriptorem laudavit. Pro sententia, quam de majore vel minore historici gravitate ap. Polyb. XII, 27 protulit, dubitare non possumus, quin Philisti, quippe quum is ipse rebus gestis interfuisset, historiarum libri ab eo testes gravissimi haberentur, etiamsi alios quoque auctores de rebus tum in Sicilia gestis consulere potuisset.

[4]) Tunc Alexandri familiaritatem recusaverat cf. Plut. de Stoic. repugn. c. 20.

[5]) Cf. C. Muelleri fragm. hist. Gr. I. praef. p. 48.

[6]) Natus erat Cymes, in oppido Aeolidis.

[7]) Seneca de tranq. animi c. 6 et Suidas.

[8]) Cf. Ephori fragm. 119 ap. C. Muell.

ribus rerum describendarum aequalibus usus, sic Siciliae quoque res et Dionysii inprimis vitam quin secundum Philistum narraverit, dubitari non potest. Neque enim solus Plutarchus testis est, Philistum ab eo de his rebus esse consultum et allatum [1]), sed ex compluribus Diodori quoque locis cognoscitur, quam facile illius judiciis nuntiisque non semper integris ac praecipue solitis de exercituum ingenti magnitudine mendaciis crediderit [2]). Ephorus enim etsi sincero praeditus erat animo et veritatis amanti, tamen artis criticae in consulendo Philisto adhibendae haud ita compos erat; causas humanarum rerum non poterat indagare, perspicere, in lucem proferre, quod iis maxime causis comprobatur, de quibus putat bellum Peloponnesiacum esse coortum [3]). Ephorum vero ex Philisto hausisse etiam eo probatur, quod remotissimus a rebus tunc in Sicilia gestis, quum in memoriam incurreret aequalem, de fonte aliquo depromere coactus erat, quae monumentis et litteris mandaret. Itaque conjicere licet, apud Philistum solum reperisse Ephorum, quaecunque retulit de rebus tum in Sicilia gestis.

Restat, ut pauca addam de Timaeo, tertio Diodori auctore, qui Agathoclis temporibus floruit [4]), et quum quinquaginta annos Athenis exul degisset [5]), post primum bellum Punicum ortum diem obiit supremum. Atque in eo vel maxime vituperatur animus non solo veritatis amore, sed factionum studio concitatus, ut pote qui extra aequitatis finem egressus odium suum in tyrannos omnes eorumque amicos profuderit [6]); improbantur pertinacia et vincendi studium, quibus eo perductus est, ut omnium fere auctorum et ipsius Homeri laudes verbis extenuaverit [7]); exagitantur denique et reprehenduntur mendacia: nam ubique nova et, quae sua tantum essent, profe-

---

[1]) Plut. Dion. c. 36.

[2]) De his rebus agemus infra in adnotationibus narrationi nostrae subjectis.

[3]) Cf. Diod. XII, 38—41.

[4]) Quum nonaginta sex annos vixerit (Luc. Macrob. sect. 22) et historiam suam usque ad olymp. 129 (a. 264 a. Chr.) deduxerit (Polyb. I, 5, 1), necesse est eum circa a. 360—355 fuisse natum; nam jam eodem anno 264 eum etiam mortuum esse, non est cur credamus.

[5]) Cf. Timaei fragm. 139 ap. C. Muell. (ex Polyb. XII, 25.)

[6]) Plut. Dion. c. 36. Nic. c. 1. Timaei fragm. 2. cf. etiam ejusdem fr. 144 sq. — Contra fuit etiam vir, quem Timaeus perpetuis laudibus extollebat, Timoleontem dico.

[7]) Diod. XIII, 90. cf. Timaei fr. 104. 114. 69. 101. 125. 133. 143. 71. Quamobrem mirum non est, quod propter objurgationum copiam appel labatur Ἐπιτίμαιος (fragm. 48. 138. Diod. V, 1. Suid.: παρωνόμαστο δὲ τοῦτο διὰ τὸ πολλὰ ἐπιτιμᾶν).

rendi studiosus non verebatur ad commenta sua comprobanda, ubi fontes non suppeditabant, novos auctores fingere atque etiam testimonia ad arbitrium comminisci[1]). Diligentiam sane ei non derogabimus, sed quam professus est artem neque ingenio neque judicio sustinuit[2]). Accedit, quod prudentia civili et usu rei militaris carebat, quum inquilinus Athenis degens totum se abdidisset in litteras, ut neque aequalem neque antiquitatis memoriam — res Siculas si exceperis — penitus intellegere et apte congruenterque scribere posset; illas sane res Siculas dico, quibus vel ipse vel Andromachus pater, Dionysio alteri aequalis, interfuit. Nam de Dionysii majoris rebus, quae utrique certe minus notae erant, Philisti narrationem pluribus locis non inspexit solum, sed etiam secundum hanc libros suos videtur confecisse, ut satis certe judicare non possimus, num ex iis, quae aut fama audivit aut de republica sensit, hanc narrationem retractaverit et immutaverit. E rumoribus certe multa addidit et affinxit neque a sua natura consuetudineque discessit, quum copiarum numerum a Philisto nimis auctum minueret[3]). Sed de temporum descriptionibus quantum meruerit, dici vix potest; nam quum ex aetatis more[4]) ad haec se applicasset, rationem et disciplinam accurate non modo fundatam, verum etiam exstructam composuit[5]), quae quum omnium tum Polybii, acerbissimi ejus adversarii, laude et judi-

---

[1]) Timaei fr. 20. 46. 47. 74. 123. 152. 97: ubi ejus narratio ἑκουσία ψευδογραφία vocatur. Cf. Momms. hist. Rom. I, p. 472.

[2]) Compilatorium ejus studium artis criticae plane expers jam apud veteres tam notum famosumque erat, ut inde »anus compilatoria« appellaretur; cf. Suid.: παρωνόμαστο καὶ Γραοσυλλέκτρια διὰ τὸ τὰ τυχόντα ἀναγράφειν.

[3]) Certe Timaeus ex sua sententia et ad arbitrium magnos Philisti numeros in Ephori quoque opus, quasi veri essent, receptos comminuit. Quin vero hoc fecerit suo jure, quin ad veritatem hac ratione propius accesserit, dubium non est. Sed de his rebus infra.

[4]) Incerta atque ex parte arbitraria ratio constituendi ex hominum aetatibus et generibus temporum ordinis, magis magisque tertio a. Chr. saeculo viros eruditos offendit; et praeter Timaeum etiam Philochorus et Eratosthenes studebant, ut certam aliquam annorum digestionem exhiberent.

[5]) Timaeus, quamvis in antiquioribus temporibus componendis non liber sit a studio rerum ad fictam quandam normam referendarum (cf. C. Muell. l. l. praef. p. 56), tamen eo bene meruit, quod temporum secundum aetates digestionem, ubi fieri poterat, reliquit. Composuit enim partim ephoros Spartanorum cum regibus, partim archontes Atheniensium et Argivas sacerdotes cum Olympionicis qui vocantur: qua re certiorem singulorum annorum rationem atque firmam quasi amussim constituit (Polyb. XII, 12. Suid.: ἔγραψεν . . . . Ὀλυμπιονίκας ἢ χρονικὰ πραξίδια).

cio comprobatur[1]). — Ac reliquos rerum gestarum scriptores, quos de his rebus Diodorus videtur consuluisse, Theopompum, Hermiam Methymnaeum, Athanam[2]) quibus in rebus adhibuerit, in dubio erit relinquendum.

Diodori igitur fontibus quantum auctoritatis et fidei fuerit, quum jam satis exploratum et persuasum habeamus, breviter de ejus narratione exponamus necesse est. Ac quum auctores principes et optimos non leviter et vitiose solum excerpsisset, sed saepius, magis expeditis et commodis fontibus abusus, ne adhibuisset quidem, ab historiae specie et forma, quam praefatus bene adumbravit, et a consiliis praeceptisque suis longe abhorruit. Tali modo libros, quibus res Siculae Dionysii majoris aetate gestae continentur, universos maxima ex parte non secundum Philisti, sed Ephori opus confecit, exemplar omnino ad imitandum propositum[3]). Etsi enim Philisti narrationem non parvi momenti apud eum fuisse pluribus ex locis conjicere licet, tamen argumentis certis, num opera ipsius ad historiam illorum temporum enarrandam usus sit, demonstrare non possumus, quoniam bis tantum eum nominat[4]). Timaeum vero et re ipsa et forma et facie librorum ab Ephoro discrepantem multifariam secutus est, qua re laboris et negotii plurimum nobis exhibuit. Nam quum modo hunc modo illum adhibuisset fontem[5]), eandem rem saepenumero non bis solum, sed aliter etiam atque antea narravit, ut nobis, utrum narratio narrationi intexenda esset an alteri plus fidei tribuendum, decernendi judicium committeretur[6]). Atque temporum ordinem interdum

---

[1]) Polyb. XII, 11. Diod. V, 1.

[2]) Ex Theopompi operis parte ea, qua Siciliae historia continebatur, pauca tantum fragmenta supersunt. Hermiae Methymnaei historiae Siculae (Diod. XV, 37) unum tantum fragmentum servatum est, idque nullius momenti (fragm. 1. ap. C. Muell. l. l. II, p. 81). Athanas Syracusanus (Diod. XV, 94) de posterioribus demum temporibus inspiciendus est; ad Dionysii majoris aetatem non nisi occasione data videtur rediisse (cf. fragm. 1. ap. C. Muell. l. l. II, p. 82).

[3]) Diod. V, 1. Quid, quod ineptas illas belli Peloponnesiaci causas ab Ephoro traditas in suo opere retractavit (XII, 38—41), quamquam Thucydidem, fontem incorruptissimum et certissimum, poterat adire?

[4]) Libr. XIII, 103. XIV, 8.

[5]) Ubi utriusque aut alterius utrius videatur usus esse opere, quod interdum non nullius ad res constituendas est momenti, infra significabo.

[6]) Hunc Diodori errorem et reliquos paullo infra enumeratos, qui sane, ubi historia Sicula narratur, non tam frequentes occurrunt quam alibi, corrigere quum studuerim, mea rerum enarratio nonnunquam etiam a Diodori disceptabit. Hic satis habeo locos indicasse, ubi errores illi inveniuntur: XIII. 33. 59. 61. 75. (de Diocle) XIV, 8. XX, 78. (de consilio bellico a Dionysio convocato) XIV, 7. 10. (de conjuratione Syracusanorum) XIV, 44. 106. 107. (de connubio a Rheginis repudiato).

ita perturbavit, ut vix restitui posse videatur. Etenim quum annales Timaei exemplum secutus componeret ita, ut cujusque anni res ab eo tempore narrare inciperet, quo Athenis magistratum inierunt archontes et Romae consules vel tribuni militum consulari potestate, ne ea quidem, quae intra unum annum gesta esse traduntur, quippe quum solstitiali tempore annus Atticus inciperet, apud Romanos anni initium per saecula mutaretur, nostros in annos certo digerere et describere possumus. Sed re vera plerumque cujusque anni res ab ineunte vere usque ad hiemem secundum Ephorum scripsit nomenque tantum addidit illius archontis, qui eodem anno summum munus suscepit, ut, dum ille fungitur munere, res quae traduntur non omnes gestas esse facile appareat. Sic factum est, ut quae jam Martio mense gesta sunt, saepius ita narrarentur, quasi post diem solstitialem in annum archontis proxime sequentis incidissent[1]). Accedit, quod plurium annorum res, observato et restituto cujusque anni ordine et spatio, deinceps componendae sunt. Nam quum Ephori inprimis historiam vice annua non interruptam, sed orbem suum quasi facientem Diodorus exceperet et simul in annalium formam secundum Timaeum redigeret, a temporum erroribus non cavit. Sic factum est, ut in conficienda ipsa Siciliae historia vel quinque annorum res uni cuilibet anno leviter attribueret[2]).

Haec fere habui de Diodori narratione ejusque fontibus quae praeponerem, ne judicium veri per imprudentiam adulterasse viderer, ubi soluto et libero judicio usus a ceterorum sententia interdum discessero. — Reliquum est, ut de illis locis, qui in Xenophontis historiae Graecae prima parte ad res Siculas pertinent, breviter agamus; ejus enim historiam duabus ex partibus diverso consilio scriptis constare, quarum prior duos primos libros complectatur vel, ut Aem. Muellerus contendit[3]), libro II, c. 3. § 10 finienda sit, viri docti, qui de ea re disseruerunt, omnes ita comprobant, ut hodie jam nemo dissentiat. Sunt vero hi loci: lib. I, 1, 26—31. 1, 37.

---

[1]) Cf. quae gesta esse traduntur annis 409 (XIII, 54—63), 406 (XIII, 80—96), 397 (XIV, 47—53), 394 (XIV, 87—88. Plassius Tauromenii obsidionem falso refert ad a. 393). Qua occasione usus addo, hoc etiam cadere in annos 391. 390. 388 et 387.

[2]) XIV, 14—16, quibuscum cf. c. 37. 40. Etiam apparatus l. XIV, 41—46 relati res sunt diversae in unum annum congestae. Quae l. XIV, 54—77 traduntur, duobus annis 396 et 395 attribuenda esse certo constat. Contra postrema Hermocratis fata ad libidinem distracta ac divulsa sunt (XIII, 63. 75.).

[3]) In diss. de Xenophontis hist. Gr. parte priore, Lipsiae 1856 edita; cf. p. 2.

2, 8. 2, 10—11. 2, 14. 3, 13. 5, 21. lib. II, 2, 24. 3, 5; quibus fere omnibus de temporum ratione Diodorum repugnare videmus. Discrimen vero, ne singulis locis hic insistamus, alii alio modo conati sunt removere. Sunt qui ubique Xenophonti plus credendum et tribuendum arbitrati Diodoro potius quam illi fidem denegent atque ea, quae apud Xenophontem de rebus Siculis prodita sunt, tam recta et vera habeant, ut quum aliorum auctorum tum inprimis Diodori nuntios cum his repugnantes ad hanc normam omnino corrigere studeant. In his praecipue Aem. Muellerus notandus est, qui eo usque processit, ut vel initium Dionysii tyrannidis, quamvis non solum Diodori testimonio, sed aliis documentis certissime confirmetur, cum sua temporum distributione et computatione, quae solis Xenophonteis studiis nititur, conciliaret. Qua in re magnopere miror, cur vir doctissimus obliviscatur, quanto labore et suo et aliorum tot tantorumque virorum opus fuerit, ut aliqua certe temporis ratio in Xenophontis libris inveniatur, quum omnia fere, quae Diodorus de rebus Siculis tradidit, bene inter sese conveniant. Quum vero multae praeterea temporum notationes apud Xenophontem vel de rebus in ipsa Graecia gestis disserentem reperiantur, quae cum vera annorum ratione conciliari non possunt atque adeo saeculi illius consuetudini repugnant, plerique viri docti non olympiades solum et archontum ephororumque nomina ad singulos annos signandos, sed annorum etiam belli Peloponnesiaci numeros atque cujusque anni initium verbis »τῷ δ᾽ ἐπιόντι ἔτει« et similibus notatum ab interpolatoribus adjecta esse censent. Qui viri, postquam omnibus his locis, qui vel interpolationis vel corruptionis nomine suspecti essent, Xenophontis narrationem liberaverunt, e re ipsa externisque documentis aeram quam vocant certam invenire et historiam secundum belli Peloponnesiaci annos denuo digerere studuerunt. Equidem vero nec disquisitiones omnium virorum, quos Aem. Muellerus de hac re exponentes enumerat[1]), retractare in animo habeo nec res gestas a Xenophonte traditas denuo unicuique anno distribuere: illud tantum mihi videndum erit, utrum ea, quae apud Diodorum invenitur, temporum notatio cum ulla tandem annorum computatione, quae ex Xenophonteis libris in integrum restitutis hausta est, possit conciliari.

Atque primum quidem Dodwellius haec statuit[2]):
Res anno 411 gestae continentur libro I, c. 1, § 1—10 (vel § 12).

---

[1]) L. l. p. 9.
[2]) De cyclis vet. Graec. et Rom. diss. VIII.

Res inter ver 410 et ver 409 gestae continentur l.: I, 1, 10—I, 2, 1.
Res „ „ 409 „ „ 408 „ „ l.: I, 2, 1—I, 3, 1.
Res „ „ 408 „ „ 407 „ „ l.: I, 3, 1—I, 4, 2.
Res inter ver 407 et auctumnum 407 gestae continentur l.: I, 4, 2—I, 5, 1.
Res inter auctumnum 407 et auctumnum 406 gestae continentur l.: I, 5, 1—I, 6, 1.
Res inter auctumnum 406 et auctumnum 405 gestae continentur l.: I, 6, 1—II, 1, 7 (vel § 10).

Quae si recte distributa sunt:

Selinus et Himera dirutae sunt (cf. I, 1, 37) anno Juliano 410.
Hermocrates Gordii versabatur (I, 3, 13) hieme a. Jul. 408/7.
Agrigentum captum est { (I, 5, 21) vel inter auctumnum a. Jul. 407 et 406. (II, 2, 24) vel inter auctumnum a. Jul. 405 et ver 404. }
Dionysius tyrannidem occupat (II, 2, 24) inter auctumnum 405 et ver 404.
Gela et Camarina desertae sunt (II, 3, 5) anno Jul. 404.

Haackius contra res ita distribuit[1]):

Res inter auctumnum 411 et ver 410 gestae continentur l.: I, 1—I, 2.
Res inter ver 410 et ver 409 gestae continentur l.: I, 2—I, 3.
Res „ „ 409 „ „ 408 „ „ l.: I, 3—I, 4, 2.
Res inter ver 408 et auctumnum 408 gestae continentur l.: I, 4, 2—I, 5.
Res inter auctumnum 408 et ver 407 gestae continentur l.: I, 5—I, 5, 16.
Res inter ver 407 et auctumnum 407 gestae continentur l.: I, 5, 17—I, 6, 1.
Res inter auctumnum 407 et ver 405 gestae continentur l.: I, 6, 2—II, 1, 10.
Res inter ver 405 et ver 404 gestae continentur l.: II, 1, 10—II, 3.

Secundum hanc computationem:

Selinus et Himera dirutae sunt (I, 1, 37) jam ante ver a. Jul. 410.
Hermocrates Gordii erat (I, 3, 13) hieme a. Jul. 409/8.
Agrigentum captum { (I, 5, 21) vel auctumno 407. (II, 2, 24) „ „ 405. }
Dionysius tyrannide potitus est (II, 2, 24) inter ver 405 et ver 404.
Gela et Camarina proditae sunt (II, 3, 5) anno 404.

[1]) De postr. belli Pelop. annis diss. chronol. Stendal 1822.

Clintoni[1]) annorum computatio haec est:

Res anno 411 gestae continentur l.: I. 1. § 1—10.
Res inter ver 410 et ver 409 gestae continentur I. 1. 10—I. 2. 1.
Res „ „ 409 „ „ 408 „ „ I. 2. 1—I. 3. 1.
Res „ „ 408 „ „ 407 „ „ I. 3. 1—I. 4. 2.
Res inter ver 407 et auctumnum 406 gestae continentur I. 4. 2—I. 6. 1.
Res inter auctumnum 406 et ver 405 gestae continentur I. 6. 1—II. 1. 7.
Res inter ver 405 et ver 404 gestae continentur II. 1. 7—II. 3.

Quae computatio si vera est:

Selinus et Himera dirutae sunt (I. 1. 37) jam a. Jul. 410.
Hermocrates Gordii versabatur (I. 3. 13) hieme a. Jul. 408/7.
Agrigentum captum est {(I. 5. 21) vel ante auctumnum a. Jul. 406. / (II. 2. 24) vel inter ver 405 et ver 404.}
Dionysius tyrannus factus est (II. 2. 24) inter ver 405 et ver 404.
Gela et Camarina produntur (II. 3. 5) anno Jul. 404.

Aem. Muellerus, qui novam viam iniit et, ut suam computationem confirmaret, in Diodori quoque narrationem inquisivit, in conspectu rerum secundum belli annos digestarum ita tempora historiae Siciliae definivit:

Vere a. Jul. 409 Selinus et Himera dirutae sunt.
Aestate a. 409 Hermocrates Messanam pervenit, Selinuntem occupat.
Hieme 409/8 Diocles in exilium actus; Hermocrates in Graeciam revertitur.
Hieme 408/7 Hermocrates Gordii versatur.
Hieme 407/6 Hermocrates in introitu Syracusarum caesus.
Ineunte Decembri 406 Agrigentum ab Himilcone captum.
Auctumno 405 Dionysius tyrannidem occupat.
Mense Sept. a. 404 Poeni Gelam et Camarinam capiunt; Dionysius equites Syracusanorum Catanam dimittit. —

[1]) Jam contentus esse poteram Dodwellii et Haackii computationibus, quae sunt rationes praecipuae, a quarum alterutra reliqui omnes haud ita multum differunt. Quum enim Xenophontis narrationem sex annos et dimidium septimi complecti necesse sit, indicentur autem quinque tantum et dimidium sexti, unicuique alicubi locus statuendus est, ubi annus non indicatus inseratur. Quem Dodwellius et qui eum magna ex parte secuti sunt Clinton, Arnold, Wachsmuth, Grote (cf. Aem. Muell. l. l. p. 19) jam in cap. I. statuerunt, Haackius contra et nostrates plerique, quos Aem. Muellerus pag. 20 enumeravit, inter I. 2 et I. 6. Historiam Siculam si spectamus, parum refert, quonam inter c. 2 et c. 6 loco inseratur, quum inter I. 1. 37 et I. 5. 21 de rebus in ipsa Sicilia gestis nihil sit traditum.

Apparuit igitur, quum Diodorus excidium Selinuntis et Himerae atque Hermocratis reditum anno Jul. 409, Agrigenti obsidionem anno 406, expugnationem vero initiumque Dionysii tyrannidis hiemi a. Jul. 406/5, Gelae et Camarinae proditionem aestati a. Jul. 405 attribueret, cum his temporibus nec Xenophontis codices, nec Dodwellianam neque Haackianam, neque ullam denique conciliari posse computationem, quae in Xenophontea narratione, quamvis locis suspectis liberata, habeat fundamenta. Quae quum ita sint, quaeritur, utrum sequamur auctorem: Xenophontem, apud quem brevissime et obiter res quaedam in Sicilia gestae commemoratae sunt, an Diodorum, qui sibi ipse uberius res patriae describere proposuit? Quicunque igitur sine studio dijudicat, Diodoro hic plus fidei tribuendum esse censebit, quum in ipsis rebus — loquor de bello a. 410-405 gesto — perspicue et accurate narrandis et describendis ita se praestet, ut haud multa desideres. Age vero quum Diodorus ubique fere sibi constet, Xenophontea narratio, quamvis tantilla, ut vix sex septemve lineas expleat, graviter sibi ipsa repugnat, quum res non parvi momenti bis tradatur atque adeo diversis annis tribuatur: Agrigenti dico obsidionem et expugnationem[1]). Porro quum modo de primo Carthaginiensium bello, cujus scimus Syracusanos fuisse participes, et de eversione Selinuntis esset traditum[2]), quid quod naves recentes anno insequenti non Syracusanorum solum, sed etiam Selinuntiorum ad classem sociorum advenisse legimus?[3]) Huc accedit, quod elocutio hoc loco tam prava est, ut vel grammatices regulis quam maxime repugnet[4]); nec minus male dicta sunt, quae legimus in libro II, 2, 24, ubi vix Xenophontis elegantis verba ea esse aliquis credat[5]); quin corruptionis vel interpolationis vestigia observata sunt duobus aliis locis in libro I, 1, 27—31 et I, 3, 13[6]). Nec vero illud, idque gravissimum praetermittendum erit, quod res illae in Xenophontis codicibus de Sicilia ipsa traditae ad narrationem belli Peloponnesiaci prorsus nihil pertinent, sed extra omnem rerum ceterarum nexum tantum ex libidine annexae videntur et ei narrationis parti quasi assutae sunt, qua novus annus animadvertitur et illae temporum notationes inveniuntur, quae a plerisque jure interpolatae habentur. Quae quum ita sint,

---

1) Xen. Hell. I, 5, 21 et II, 2, 24.
2) Hell. I, 1, 37. cf. I, 2, 10.
3) Hell. I, 2, 8.
4) Cf. Buechsenschützii explic. ad Hell. I, 2, 8 et Aem. Muelleri l. l. p. 47.
5) Cf. Aem. Muell. l. l. p. 49.
6) De quibus vide Aem. Muell. l. l. p. 51.

quum Xenophontis brevis rerum Sicularum narratio cum Diodori copiosa et accurata historia non congruat, nec sibi ipsa constet, nec libera sit locis interpolatis et corruptis, neque ad propositam belli Peloponnesiaci descriptionem ullo modo pertineat, illo judicio, quod jam Brueckner, Sievers, Breitenbach statuerunt, assentiri non dubito, esse illos locos, si non omnes, tamen plerosque spurios. Quattuor certe loci[1]) primum in codicis marginem adscripti et deinde narrationi ipsi intexti sunt; ceteros tres[2]), qui sane cum bello Peloponnesiaco cohaerent et cum Diodori narratione conciliari possunt, depravatos additis alienis verbis habebimus. — Quam quidem quaestionem brevius absolvere potuissem, nisi Aem. Muellerus illis locis simul innixus et in suum commodum abusus magna cum sagacitate novam annorum computationem statuisset, quae a Diodori narratione et vera temporum ratione abhorret. Sed de ea infra, ubi opus erit, disputabimus. —

III.

Siciliae et maxime Syracusarum paullo ante prius bellum Punicum condicio.

Antequam ad ipsa bella enarranda accedamus, quae per duodeviginti fere annos brevibus interjectis pacis temporibus in Sicilia gesta sunt, breviter exponendum videtur de ejus insulae statu, qualis Atheniensibus devictis fuerit, ut intelligatur, quibus rebus in bello pro libertate gerendo aut adjutae aut impeditae sint Graecae civitates. Sicilia septentrionalis continuis impletur montium satis altorum jugis, quae secundum totam oram a Peloro promontorio usque ad montem Erycem pertinent et angustam aliquam insulae septentrionalis partem a tota reliqua sejungunt. Qui montes in mare Tyrrhenum pluribus locis ardui et praerupti praecipitantur, ad meridiem vero in nonnullas collium series minores et humiliores diffunduntur, quorum altissimi sunt montes Heraei, divortium Symaethi et fluminum in mare Africum profluentium. Qui colles silvis amoenis et egregiis pratis pascuisque cooperti sunt fontibusque abundant, ut multi rivi ac fluvii inde oriantur. Porro ubi progredimur in meridiem et orientem, planities patet longe

---

[1]) Hell. I, 1. 37. I, 5, 21. II, 2, 24. II. 3, 5.

[2]) Hell. I, 1, 27—31. I, 2, 8—12. I, 3, 13. Interpolatorem vero, sane veterem, bono fonte, nisi fallor, Timaeo usum ubique non de re, sed de tempore errasse, ex Diodori narratione comparata elucet.

lateque pertinens, montibus paullo editioribus destituta, quae primum circiter mille vel mille ducentos pedes supra mare elata est, deinde paullatim descendit et minores tantum, sed fertilissimos campos in ora maritima relinquit[1]). Quae, quamvis ejus fertilitatem flumina, satis quidem longa, sed aqua interdum carentes, haud ita augerent, tamen jam ab antiquissimis temporibus humo fecundissima erat et frugum multitudine et varietate adeo excellebat, ut Graeci, qui primo ad mare consederant, mox illa quoque potiri conati gentes, quae antea eam obtinuerant, magis magisque ad occasum et in interiorem insulam compellerent. Hac in aspera regione, quae raro loca condendis majoribus urbibus opportuna praebet, sed ad agriculturam et quum maxime ad equorum oviumque educationem idonea est, Sicani et Siculi habitabant, adhuc ex parte sui juris el liberi. In montium maxime arduorum cacuminibus castella erant et oppida munita, vicorum capita et incolarum agrestium temporibus bellicis refugia, quae ab his eo facilius defendebantur, quod ad situm natura munitissimum accedebant hominum opera paene indelebilia. Ad nostram enim usque aetatem inde ab illis temporibus moenia ex saxis polygoniis magna cum arte constructa et aedificia rupibus incisa pluribus locis sunt servata[2]).

Occidentalem saltuum partem tenebant Sicani, quorum fines non a Graecis tantum, sed etiam a Siculis Semiticisque gentibus satis coartati erant; nam confines Selinuntiorum et Egestanorum agri eos ab occidentali parte includebant[3]), a septentrionali Phoeniciae erant urbes et ager Himeraeus, atque ab oriente Siculi usque in illas regiones progressi terras ibi vi occupaverant[4]). Magnas urbes Sicani non condiderant, sed maxima pars in agris vicisque rusticis degebat atque omnium Siciliae incolarum a cultu atque humanitate maxime abhorrebat[5]). Quae terra iis negabat, commercio Carthaginiensi vel

---

[1]) Cf. v. Kloeden, Handbuch der Erdkunde II, p. 166 sq. 212 sqq.

[2]) Cf. Saver. Cavallari »Zur Topographie von Syracus« in Götting. stud. 1845. sect. II, p. 251 sq., ubi pluria ejusmodi opera enumerantur.

[3]) Thuc. VI, 2. Cf. Diod. XII, 82. XIII. 43.

[4]) Siculos etiam his locis habitasse, quum ex iis, quae Thuc. l. l. tradidit, tum inprimis ex rebus constat, quae a. 409 gestae sunt: quo anno Siculi una cum Sicanis Hannibali illas regiones, Hypsae fluvii vallem, nisi fallimur, cum exercitu transeunti sese adjunxerunt. Diod. XIII, 59.

[5]) Diodorus etsi semel (XIV, 55) de Sicanorum oppidis loquitur, tamen ne unius quidem nomen tradit; alii commemorant Sicanorum urbem Inycum, quae Cocali regis tempore floruisse dicitur, cf. Cluverii Sic. ant. ed. contr. Bunonis I, p. 126. Hyccara vero a Thuc. VI, 62 πόλισμα Σικανικόν, a Diod. XIII, 6 Σικελικόν πολισμάτιον vocantur.

rapinis parabant, semperque in bellis, quae in insula gerebantur, cum iis facturi erant, qui illo ipso tempore ipsis plurimum utilitatis vel damni afferre possent[1]). Libertatem servaverant, non tam suis opibus freti, quam paupertate agri et locorum difficultate adjuti[2]).

Siculi vero, qui terrae montuosae partes medias septentrionalesque et maxime Aetnaeas regiones obtinebant[3]), vario cum aliis nationibus commercio ad politiorem humanitatem jam pervenerant. Atque inprimis Graecorum consuetudo ad eorum mores perpoliendos magni momenti fuerat, ita ut etiam oppidorum et hominum nomina aeque ac Graeca conformarentur[4]). Nec minus eorum res publicae et crebrae harum mutationes, itemque intestinae factiones et discordiae Graecarum civitatum condicionis certae erant imagines[5]). Sed ne toti e Graecis eorumque commercio penderent, artiore vinculo et civitate quasi communi omnes suos circumcludere et aliqua orae maritimae parte potiri jam dudum tentaverant. Certe Ducetius inviis interioris insulae regionibus noluerat se coërceri, et potius Graeco more urbem magnam ac regnum Siculorum proprium condere studuerat[6]). Quae quidem res quum Syracusanis praecipue prohibentibus ad irritum cecidisset, inveteratum illud Graecorum odium denuo inflammatum atque auctum est. Nam hereditate quasi patria e vetustis temporibus relictum erat, se ipsos olim totam orientalem insulae partem obtinuisse, sed a Graecis inde expulsos esse; quam famam eo majore cum tenacitate et veneratione colebant, quo magis pristinam potentiam atque ipsam libertatem paullatim amittebant[7]). Quam ob rem jam mirum esse non potest, quod eorum plerique, Graecos omnino hostes suos a natura datos esse arbitrati, Atheniensium impetum, Graecorum quidem, sed peregrinorum, contra Syracusanos, Graecorum in insula principes, omnibus viribus adjuverant. Atheniensibus repulsis libertatem, quam pars etiam defendebat, nulla alia re nisi discordia et ambitione mutua magnarum urbium Graecarum firmari haud ignorabant; quae

---

[1]) Diod. XIII, 59. XIV, 48. 55.

[2]) Illa demum pace, quam Poeni a. 405 cum Dionysio fecerunt, Poenorum in potestatem redacti sunt. Diod. XIII, 114.

[3]) Thuc. VI, 2. Diod. XIV, 87 sq.

[4]) Cf. Diod. XIV, 9. 78 (Ἄγυρις ὁ Ἀγυριναίων τύραννος, Δάμων ὁ δυναστεύων Κεντοριπίνων). XIV, 14 (Ἀείμνηστος). XIV, 16 (Ἀρχωνίδης).

[5]) Diod. XIV, 14. 16. 83.

[6]) Diod. XI, 88. 90 sq. XII, 29. Siculorum consilia bene explicavit Curtius, hist. Gr. II. p. 465.

[7]) Diod. XIV, 88.

si foedere quando vel alio vinculo jungerentur, se ipsos quoque domitum iri. Novo igitur bello Siciliae illato Siculos apparuit omnes iterum ea inconstantia et mobilitate, quam semper praestiterint, usuros esse, atque adeo, qui quidem sui juris essent, eos certe cum Graecorum adversariis esse facturos. Carthaginiensium vero in insula imperium multo minus iis periculum minitabatur, quam Graecorum[1]).

Poeni enim et omnes consanguinei gente Semitica oriundi, qui olim promontoria et parvas circa Siciliam insulas tanquam receptacula et horrea occupaverant atque universae insulae oram, angustam quidem, sed fertilissimam, per tempus circumcoluerant, vexati denique a Graecis, quum quaestuosam cum insulae colonis mercaturam per pacem facere quam ipsam terram subjicere et vi obtinere maluissent, ad occidentalem Siciliae partem castellis ceteris relictis commigraverant[2]). Ibi pars commercii et lucri causa degerit, plerique agros et latifundia non ipsorum manu, sed innumeris servis usi coluerint, ac nescio an repudiata inprimis media insula aspera omnes summa ope enixi sint, ut alienos potius in commodorum societatem assumerent, quam offenderent; quin ubi ne haec quidem assequebantur, novas sedes quaerebant, simul novam patriam nacti, ubicunque spes erat lucrandi[3]). A vi quidem adhibenda prorsus non abhorrebant; sed ceteris nationibus virorum numero inferiores ob eamque rem aliorum auxilio egentes solis de commerciis, ubi necessitas postulabat, servandis decertare consueverant. Inde effectum est, ut Phoenicum et Carthaginiensium in insula urbes tempore Atheniensium expeditionis, nihil fere nisi commercii Carthaginiensis emporia, neutrius partis studium ostenderent atque adeo, Poenis ipsis auctoribus, nisi fallimur, bene caverent, ne in insulae totius bellum sese immiscerent, quantumvis proxime interdum ab ipsorum finibus abesset.

Graeci contra quum in colonias viros liberos Graecaque stirpe oriundos misissent, qui non tam commercii causa ibi degerent, quam ut agrum novum ad ostia fluminum et in vallibus iis adjacentibus situm possiderent et colerent sua ipsorum manu, novam re vera patriam condiderant, cujus fines, ubi civium numerus crevit, longius propagare et protendere conati sunt. Atque quum agrorum fertilitate et fructibus in-

---

1) His rebus intellegitur, cur in unoquoque paene bello ad peregrinos Siculi defecerint, cf. praeter Thucydidis narrationem Diod. XIII, 59. XIV, 7. 58. 59. 78. 90. 95.

2) Thuc. VI, 2.

3) Cf. Momms. hist. Rom. I, p. 490 sq.

citati novi coloni frequentes adventarent et virtute et pertinacia barbaros rejicerent, fieri non potuit, quin denique »barbarorum agris quasi attexta quaedam videretur ora esse Graeciae[1].« Tunc vero aut vi armisque aut auctoritate Graeci soli erant insulae domini, atque fructuum copia industriaeque varietate ceteris fere omnibus superiores ad eum pervenerant florem, quem neque antea nec postea unquam adaequarunt[2]. Late cinctae erant vineis frugiferis crebrisque oleis urbes complures ac singula praedia, pars etiam palmis magnificis[3]; in ripis fluminum prata patebant eximiis pascuis totum fere per annum virentibus insignia[4]; campi nobiles et agri fecundi, ubique optime culti, tantam fructuum variorum procreabant copiam, ut vel frequentissimae urbes frumento abundarent[5]; superioribus in regionibus pascua jacebant egregie ad oves nobilesque equos educandos idonea[6]; collium vero series et montium tractus robustis et vetustis referti erant arboribus, unde materia promebatur ad aedificandas naves, res sane magni momenti ad commercium provehendum[7]; mare denique fluviique pleni erant variorum piscium, qui inter primos erant veterum cibos, sicut etiam hodie nautarum in mediterraneo mari versantium[8]. Quae et terra ediderat et manuum ars atque

---

[1]) Haec sunt aptissima Ciceronis verba de rep. II, 4. § 9.

[2]) De Graecorum cultura, qualis tunc fuerit, breviter tantum atque in universum agere hoc loco satis habeo; ubi ad singularium urbium res ipsas pervenero, accuratius, quae de his tradita sunt, conferam et uberius retractabo.

[3]) Diod. XIII, 81. Theophr. hist. pl. VIII, 6, 3. Oliveta ab Atheniensibus quoque fugientibus reperta esse Thucydides tradidit (VII, 81). De palmis agrestibus, quibus ager Selinusius alios superabat, vid. Cic. in Verr. act. II. l. 5, 33 § 87. Verg. Aen. III, 705. Theophr. hist. pl. II, 6, 11. Plin. hist. nat. XIII, 4, 9.

[4]) Vid. Heynii annot. ad Verg. Aen. III, 698, quocum cf. Ovid. fast. IV, 477.

[5]) Thuc. VI, 20. Diod. XIII, 81. De agrorum Leontiorum, qui tunc temporis Syracusanorum erant, fertilitate cf. Cic. in Verr. II. l. 3, 18 § 47. Diod. V, 2. Plin. hist. nat. XVIII, 10, 21. Alius agri frugiferi, quem Dionysius alter, quum expelleretur, sibi petiit, in Plut. vit. Dionis c. 37 fit mentio. De agris Selinusiis et campis Gelois vid. infra p. 46. 93. Cetera, quae ab hac dissertatione aliena sunt, omitto, praesertim quum Siciliam, tritico fertilissimam, accolis »rei frumentariae subsidium« (Strabo VI, 273: ταμεῖον τῆς Ῥώμης) fuisse notissimum sit. Cf. Forbigerum, Handbuch der alten Geogr. III. p. 788.

[6]) Quos non parvi momenti fuisse elucet ex Strab. VI, 273. Pascuorum bonam partem possidebant Agrigentini ob equorum cultum clari, cf. infra p. 69, et Gelenses quoque cf. p. 93.

[7]) Diod. XIV, 42.

[8]) Haud rarae piscinae, quarum in Sicilia etiam hodie vestigia reperiuntur, quam crebro pisces ederentur, comprobant. Sav. Cavallari

sollertia comparaverat, partim Graeciae et Italiae, pleraque vero his quidem temporibus Libyae subministrabantur[1]), inprimis oleum et frumentum, sive quod agri ad oras illas siti, utpote qui paullo ante priscis incolis erepti essent a Carthaginiensibus[2]), cultu satis frugifero etiamtum carebant, sive quod in fructibus terrae ad vitae usum adhibendis Graeci Poenis superiores erant[3]). Nec vero Carthaginienses soli atque uni naves suas illis rebus vicissim onerabant[4]), verum ipsi Graeci obeundi negotii aut consequendi quaestus studio commoti multa loca adire, magnos cursus conficere erant soliti, ut fructus suos propagarent, quum patriae situ maritimo mirum quantum adjuti jam diu navium mercatoriarum sat magnam copiam sibi parassent[5]).

At quamvis urbes Graecae merces suas magno cum quaestu venderent et celeriter ita divitias atque adeo abundantiam essent assecutae, tamen etiam in hac ipsa re aliquid causae inerat illius, quae jam imminebat, intestinae civitatis ruinae. Nam quum maxima omnis quaestus pars locupletium tantum possessorum mercatorumque in manus conflueret, crevit in dies cum census discrimine invidia inter divites argento fretos et pauperes illorum abundantiam obliquis oculis spectantes, ita ut hi re vera jam omnibus infesti essent, qui divitiis supra ipsos eminebant[6]). Illorum vero permulti, id quod jam diu

---

l. l. Niebuhr, Vorträge über alte Geschichte III, pag. 198 (Diod. XI, 25. XIII, 82).

[1]) Diod. XIII, 81.

[2]) Cf. infra p. 38.

[3]) Sic Diodorus XIII, 81 tradidit secutus ille Timaeum, sed a Polybio XII, 3 ob eam rem reprehenditur; Regulus enim, quum appelleret, uberrimam ibi hortorum florem invenerat. Et quum Diod. IV, 17 de pristina Libyae cultura loquens sibi ipse repugnet, facere non possumus, quin fertilitatem, qua posterioribus temporibus terra excellebat, jam antiquitus credamus obtinuisse. Quaerentibus autem, cur oleum Poeni e Sicilia sibi comparaverint, vix alia statui poterit causa, nisi ea, ut Graecis prelis melius oleum expressum fuisse putemus.

[4]) His post primam demum pacem cum Dionysio factam, ni fallimur, licebat in singulis urbibus Graecis horrea mercibus recipiendis aedificare atque res possidere; cf. infra pacis condiciones.

[5]) Inprimis numi Siculi, quorum ex illo tempore superest sat magnus numerus, et forma et pondere testantur, florens fuisse urbium Graecarum commercium. Vide praeterea, quae Wess. ad Diod. XIII, 81 de vi verbi ἀντιφορτίζεσθαι annotavit. Sed etiam Carthagine Graeci sua habebant receptacula eaque, ut videtur, non parva. Diod. XIV, 77.

[6]) In omnibus fere Graecorum urbibus divites pauperibus valde odio fuisse invenimus, quod cave putes ex sola re publica originem duxisse; quod quidem odium ut erumperet, nihil nisi occasio exspectabatur. Aristot. Politic. V, 4, 5 quibus rebus tyranni exstiterint demonstrans »Πάντες, inquit, τοῦτο ἔδρων ὑπὸ τοῦ δήμου πιστευθέντες,

irrepserat[1]), voluptates luxuriamque atque ignavam tranquillitatem pacemque domi et foris adeo sectabantur, ut et corpus et animum virilem prorsus effeminarent[2]). Accedebat, quod gens, quae initio fuerat pura, peregrinis in civitatem receptis, id quod saepius accidit in urbibus commercio florentissimis et celeberrimis, valde miscebatur et se unam effecisse olim gentem unumque populum magis magisque obliviscebatur[3]); quaeque ita irrepserat patriorum morum institutorumque veterum neglegentia, ea valde etiam augebatur literarum et quum maxime philosophiae studio. Poetae enim et philosophi et inprimis illi sophistae plurimum ad multorum animos informandos tunc valebant et liberiore educatione doctrinaque ex parte etiam prius quam in terra patria hic eum excitaverant motum, quo universum gradatim populum agitari necesse erat illumque propagari animum, qui totius mundi se incolam et civem arbitratur[4]). Mobiles Siculi quum rerum prudentiam affectarent ad omnes vitae casus aptam et quam plurima studerent cognitione atque scientia amplecti, multas sane superabant superstitiones majoremque in hominibus judicandis omnibus rebus humanis tractandis assequebantur sollertiam atque experientiam[5]), sed una obrepebat vafer ille et callidus animus et eloquentia bilinguis, quae magnum inter eos et eorum in Graecia gentiles discrimen statuebat[6]). Praediti animo ad cogi-

---

ἡ δὲ πίστις ἦν ἡ ἀπέχθεια ἡ πρὸς τοὺς πλουσίους,« et paullo infra: »καὶ Διονύσιος κατηγορῶν Δαφναίου καὶ τῶν πλουσίων ἠξιώθη τῆς τυραννίδος.« Cf. Diod. XIV, 66: »Διονύσιος ..... φυγαδεύων τοὺς ταῖς οὐσίαις προέχοντας.« Etiam Gelae hoc discrimen inter utrosque fuisse, disertis verbis testatur Diod. XIII, 93; de Agrigentinis vero cf. infra p. 70 sq.

1) Diod. XI, 87.

2) Timaei fragm. 113. 114. (K. Muell.) Diod. XIII, 82--84. Diog. Laërt. VIII, 63. — Aristot. Politic. V, 5, 6. Plat. epist. VII, p. 326, b—d. VIII, p. 354, d. Phylarch ap. Athen. XII, p. 521, b. Quod quin non in Agrigentinos et Syracusanos solum, sed in ceteros quoque minorum urbium cives ceciderit, etsi non indicentur nomina, dubitari non potest. Theopomp. fr. 218 (K. Muell.) Alios locos v. ap. O. Muellerum, Dorier II, p. 275. Haec ex parte quoque fuit causa, cur in rebus cum Poenis gerendis tantam pigritiam et ignaviam praestarent.

3) Thuc. VI, 17. Diod. XIV, 46; cf. Herod. VII, 166. Diod. XIII, 43.

4) De poëtarum comicorum auctoritate et vi cf. Bernhardy, Grundriss d. griech. Lit. vol. II. fasc. 2, p. 454 sq. (ed. alt.); sophistae quid ad animos excolendos et formandos valuerint, idem breviter exposuit vol. I. p. 462. 467 sq.

5) Plat. Gorg. p. 473. A.

6) Thuc. VI, 17. Cic. divin. in Caec. c. 9. § 28. Brutus c. 12, 46. in Verr. III, 8, 20. Diod. XI, 87. XII, 53. Caelius apud Quint. inst. or. VI, 3, 41.

tandum alacri et certo recti pulchrique sensu, nec non diserta facundia, facile ad omnia parata habebant responsa acuta ac faceta[1]) omniaque hilari et quodammodo levi animo contemnebant[2]). Quum igitur tali modo longius in dies progrederetur eruditio, exstinguebatur pedetentim bona illa et necessaria vulgi erga deorum simulacra reverentia atque adeo ipsa pia fiducia deorum, quos antea nemini non persuasum fuerat injurias ulcisci et punire. Nec vero solus deorum cultus his rebus in periculum vocabatur; sed quum semel recepta essent sophistarum excogitata, etiam aliorum jura contemnebantur, atque adeo verecundia legum, quibus solis universa civitas haud sane facili opera continebatur, coepit evanescere. Huc adde, quod singulis, quamvis temporibus bellicis cives pro communi salute ad arma irent cuncti, tamen jam deerat animus ille laetus et promptus, qui privata commoda commodis civitatis postponeret. Vulgus enim, quod nunc popularium promissis occaecatum nunc prout libido erat in contionibus de republica convocatis huc illuc fluctuabat et plus aequo appetebat, jam pigrum esse coepit atque pertinax in officiis suis exsequendis, quum non omnes ei honores concederentur[3]). Nobiliores vero cives quum, quam adhuc ex parte habebant, potestatem vel certe auctoritatem a multitudinis violationibus studerent vindicare, aut manifesto sese consociabant aut clandestinis illis factionibus (ἑταιρείαις) a ceteris se sejungebant, ut suis tantum commodis inservientes multitudini pro facultate nocerent et contra populum et ipsos bonos cives suo consilio rem publicam administrarent et regerent[4]).

Vehementissime vero his omnibus malis laborabat civitas Syracusana, cujus factiones etiam belli ab Atheniensibus illati tempore odio inter se ita incensae fuerant, ut ne tum quidem Hermocratem, omnium civium prudentissimum et de urbe pa-

---

[1]) Cic. disp. Tusc. I. 8, 15. de orat. II, 54, 217.

[2]) Cic. in Verr. IV, 43, 95. Quare jure mihi videntur Francogalli antiqui appellati esse.

[3]) Id inprimis e disciplina militari jam ipsis Syracusis labefactata elucet; multitudo enim civium exercitationem et armaturam neglegebat nec semper satisque ad imperata exsequenda parata erat, ut Hermocrates eos sacramentum dicere apud duces juberet. Thucyd. VI, 72. VII, 73. Nec illud praetermittendum est, quod, quamvis urbes abundarent hominibus, tot mercenarios conducere cives erant coacti.

[4]) Quamvis Diodorus in enarrandis his rebus Siculis voce »ἑταιρεία« non utatur, tamen multa luculenta talium factionum exempla reperiemus, ut sola tunc urbs Himera floruisse concordia videatur. Jusjurandum, quo se invicem obstrinxisse videntur, servatum est ab Aristotele, Politic. V, 7, 19: καὶ τῷ δήμῳ κακόνους ἔσομαι, καὶ βουλεύσω ὅ τι ἂν ἔχω κακόν.

tria et de universa Sicilia optime meritum, ex imperio ejicere[1]) neque adeo cum hostibus clam agere et facere dubitarent[2]). Vix autem auctumno a. 413 Atheniensium exercitus exstinctus erat, quum statim discordiae civiles et ob rei publicae administrandae modum et ob res cum exteris civitatibus instituendas ortae sunt, quae universam civitatem magnopere commovebant et in summum denique periculum vocabant. Atque primum quidem quum captorum Atheniensium septem milia ab exercitu victore in urbem introducerentur, statim mutati popularis animi indicia apparuere. Quamvis enim viri temperati, ut Hermocrates et Nicolaus, vulgi furores refrenare et coërcere conarentur[3]), quamvis ipse Gylippus, cui potissimum civitas salutem debebat, omni vi eniteretur, ut saltem hostium duces Nicias et Lamachus sibi traderentur: multitudo effrenata nec Gylippo assensa ac ne dicere quidem Hermocratem passa nemini nisi ducibus suis plausit; quibus quum Corinthii assentirentur et — timore ne perfidia sua patefieret permoti — etiam ii, qui clam Niciae faverant, tandem effectum est[4]), ut amborum ducum supplicium et crudelis captivorum in lautumiis inclusio decerneretur. Sed populares quum opportuniora sibi esse tempora animadverterent, quam unquam antehac, nunc longius sunt progressi. Etenim universa civitas, etiam infimi ordinis homines et exiguae rei, qui maxime in navibus pugnabant[5]), dum urbs oppugnatur, armis et opibus, ut patriam servarent, inter se una certaverant. Quum vero classis potissimum cladis Atheniensium fuisset causa, vulgus jam ob eam rem superbiens et a se solo illos victos arbitratum proximo tempore ab assentatoribus et contionatoribus adeo incitatum est, ut rei publicae mutationem in suum commodum vehementius in dies et obstinatius posceret. Atque ut iidem omnibus civibus concederentur honores, id quod Athenis quoque jam post pugnam Salaminiam postulatum et permissum, etiam hic aeque ac jure

---

[1]) Thuc. VI, 73, 103.

[2]) Thuc. VII, 48. 49. 86.

[3]) Diod. XIII, 19 sq.

[4]) Thuc. VII, 86, quocum congruisse videtur Philistus, cf. fr. 46 (K. Muell.) Teste Plutarcho (vit. Nic. 28), qui haec ab aequalibus tradita secutus est, Timaeus aliter atque illi rem narraverat; atque quum ne Diodorus quidem cum Thucydide congruat, sed Gylippum fervidam orationem contra Niciam habentem et Dioclis rogationes probantem faciat (XIII, 28 sq.), verisimile est, eum hic Timaeo usum esse auctore. Thucydidis et Philisti auctoritatem sequendam esse, vix est quod moneam.

[5]) Thuc. VI, 20: »πολλαὶ δὲ τριήρεις καὶ ὄχλος ὁ πληρώσων αὐτάς.«

postulari posse videbatur[1]). Quamobrem Diocles quidam, qui plurimum tum apud plerosque valebat[2]), callidissime et studiosissime abusus animorum perturbatione rogavit populum, ut crearentur, qui novam reipublicae formam excogitarent temporibus magis accomodatam omniumque voluntatibus et officiis satisfacientem. Fieri non potuit, quin haec rogatio, sive nobiles sibi cavebant, sive bonorum civium pars nimis indulgebat, quum probaretur plerisque, lato denique suffragio in comitiis sciseeretur. Nec vero multitudo, quantam Diocli deberet gratiam, oblita est: ipse enim cum collegis electus est, qui has res constitueret et perficeret[3]).

Reipublicae vero Syracusanorum conversio quae tunc erat, cujus auctorem omnes unum Dioclem perhibent, tanti fuit ad res proximis annis in Sicilia gerendas momenti, ut jam ideo accuratiore de ea disquisitione opus videatur. Quae quum nuntiorum brevitate et paucitate admodum difficilis sit: quaenam fuerit conversionis illius natura quantaque singularum mutationum vis, dijudicare cupientibus eorum locorum collectione, quibus brevia nec nimis dilucida Diodorus de Diocle tradidit, non licebit contentis esse, verum necesse erit primum investigare, qualis antea fuerit reipublicae ratio, deinde comparare, quae ex priore hac forma servata, quae sint rejecta, denique respicere, quali ratione et modo proximis annis Syracusani, quae gerenda essent, decreverint, decreta exsecuti sint, ut ex his de rei publicae forma rursus quaedam conclusionibus eliciamus.

Inde a Thrasybulo tyranno expulso[4]), immo nescio an jam ante Gelonem[5]) cives Syracusani a priscis moribus et institutis Doriensibus tantopere recesserant, ut forma reipublicae democratica quam vocant diserte nuncupetur[6]). Quare totius reipublicae quasi centrum, unde omnia proficiscuntur, ubique apparent comitia. Ordinaria quoties habita fuerint et a quibus magistratibus convocata, dijudicari nequit; extra ordinem vero, si quid subiti accidisset, posterioribus quidem temporibus a strategis constat populum esse congregatum, eosque conventui praefuisse et res ordinasse[7]). Die igitur constituto cives in

---

[1]) Aristot. Politic. V, 3, 5—6.
[2]) Diod. XIII, 19. 34.
[3]) Diod. XIII, 33—35.
[4]) Diod. XI, 67—68.
[5]) Arist. Politic. V, 2, 6.
[6]) Thuc. VII, 55. Ceteros locos vide apud Tittmannum in libro qui inscribitur »Darstellung der griechischen Staatsverfassungen,« ubi pag. 502—508 rem publicam Syracusanam breviter delineavit.
[7]) Diod. XI, 92: οἱ μὲν ἄρχοντες συνήγαγον ἐκκλησίαν. Diod.

foro convenerunt[1]) et sine armis[2]) comitiis intererant. Rogationes propositae post Dioclem ab auctore scriptae[3]) ad ipsa comitia latae et palam recitatae sunt[4]). Neque vero simpliciter aut scitae aut antiquatae sunt, sed ante suffragium ferendum disputatum de iis[5]), et disputatum saepe acerrime et contumeliose, interdum etiam tumultuose[6]). Contionandi jure, quod unicuique civi dabatur, plerumque factionum tantum duces, qui plurimum valebant, utebantur[7]); iis tamen, qui comitiis praesidebant, licuit contionantibus veniam loquendi abrogare atque adeo non tribuere, si de re jam satis disputatum arbitrabantur[8]). In his vero Diocles duas res magni momenti novavit, quae cum reliquis ejus legibus bene congruunt sententiamque ejus significant. Primo enim constituit, ut qui de aliqua re contionari voluissent, de ordine inter se sortirentur; qua re et cautum est, ne oratores praecipue populares primo loco aut soli sermocinarentur et populo de sua voluntate suaque sententia persuaderent, immo aeque omnes loqui posse voluit[9]); et ne magistratus, qui contioni praeerant, soli nimiam

---

XIII, 91: τῶν ἀρχόντων ζημιούντων. Punire si possunt, certe praesident et, nisi fallimur, comitia etiam convocarunt. Apud Diod. XIII, 94 ἄρχοντες idem videntur quod στρατηγοί. Thuc. VI, 41: τῶν δὲ στρατηγῶν εἷς ἀναστὰς ἄλλον μὲν οὐδένα ἔτι εἴασε παρελθεῖν, et paullo post: καὶ ὅ τι ἂν αἰσθώμεθα, ἐς ὑμᾶς οἴσομεν. Quod si facturi erant, debebant comitia convocare. Δήμου προστάται non praesidebant cf. infra p. 31. n. 6.

[1]) Diod. XI, 92.

[2]) Lege Dioclis arma vetita sunt (Diod. XIII, 33); antea dicuntur permissa fuisse cf. Diod. XI, 26. Polyaen. I, 27, 1.

[3]) Diod. XIII, 95: ψήφισμα ἔγραψεν.

[4]) Diod. XIII, 91. 92. 19: Διοκλῆς δέ τις . . . . . ἀπεφήνατο γνώμην . . . . . ἀναγνωσθέντος δὲ τοῦ ψηφίσματος.

[5]) Thuc. VI, 32—41. 72. 73. Diod. XI. 92. XIII, 19—33. 91.

[6]) Vide orationem Athenagorae ap. Thuc. VI, 36, sq. et Dionysii ap. Diod. XIII, 91. Quid quod Hermocrates quondam tumultu coactus est a suggestu descendere, priusquam locutus esset? Diod. XIII, 19.

[7]) Diod. XI, 92.

[8]) Thuc. VI, 41.

[9]) Plut. in reg. apophth.: »Διονύσιος ὁ πρεσβύτερος, κληρουμένων κατὰ γράμμα τῶν δημηγορούντων, ὡς ἔλαχε τὸ Μ, πρὸς τὸν εἴποντα, Μωρολογεῖς, Διονύσιε· Μοναρχήσω μὲν οὖν, εἶπε· καὶ δημηγορήσας εὐθὺς ᾑρέθη στρατηγὸς ὑπὸ τῶν Συρακουσίων.« Quod contionatores sortiti sunt, a nullo potest institutum esse nisi a Diocle, quum antea simile nihil inveniatur (cf. Thuc. VI, 32—41. Diod. XIII, 19. 28.) et quum Diocles omnino sortitionem instituerit (Diod. XIII, 34). Tittmannus vero l. l. p. 504 ea, quae ante Dioclem legitima erant, cum legibus ab hoc latis confundit. Quomodo voces μωρολογεῖς et

aut summam potestatem exercerent, provisum. Qua eadem de causa legem tulit, ne, si oratores contra decorum et contra leges deliquissent, ideo praesidentes disceptationi finem imponerent, sed oratorem tantum certa pecunia multarent, nec impedirent ne pergeret[1]). Auditis omnibus oratoribus populus suffragium tulit aut aperte manibus porrectis[2]), aut clam calculis[3]). Nec videntur singulae tribus et curiae in suffragium missae esse. Lex, quam tali modo major pars populi sciverat[4]), inde a Dioclis quidem aetate scripto consignata atque publico loco proposita est[5]).

Numerus rerum, quarum penes populum arbitrium erat, paullatim auctus est, donec Dioclis legibus comitia summum potentiae fastigium nanciscerentur. Creabant magistratus[6]); itaque ii tantum viri ad rem publicam administrandam et ple-

---

μοναρχήσω ad ipsam sortitionem referendae sint, non liquet; quod vero utraque a litera M, quam Dionysius sortitus erat, incipit, certo non casu factum. M numerum ordinarium significare non potest — quis enim credet, quadraginta ad minimum tunc fuisse concionatores? — sed eodem modo, quo in carminibus Homericis, secundum literarum alphabeti seriem locum duodecimum potest significare. Quodsi Dionysio, celeberrimo illo contionatori, locus demum duodecimus in ea contione, qua deinde στρατηγὸς αὐτοκράτωρ factus est, obtigit, sane hac re potuerunt sales alicujus elici, quibus voce illa in civitate libera prorsus inusitata respondit. Si vero et significare voluit, se quasi quandam dictaturam esse adepturum, et aeque facete alliteratione uti, alio verbo respondere vix potuit. Sed haec est conjectura.

1) Quamquam hoc non disertis verbis traditum est, diversitas tamen duobus locis, quibus praesidentes disceptationi finem imposuisse legimus (Thuc. VI, 41. Diod. XIII, 91) statim apparet. Athenagoram, quum conviciatus esset et cives quosdam suspectos reddidisset captataeque dominationis arguisset (v. ejus orat. ap. Thuc. VI, 36—40), strategus praesidens, omnem rixam recidens, ipse vituperat. Dionysius vero, qui multitudinem etiam ad agendum contra leges incitaverat, tamen soluta multa pergere potuit; hoc igitur loco loquendi libertas omnem modum excedit. Prior ille locus ad tempus expeditionis Atheniensis spectat, posterior ad tempus, quo Dioclis leges jam scitae erant; quapropter haec quoque mutatio a Diocle facta videtur.

2) Polyaen. I, 27, 1; de posterioribus temporibus vide Diod. XVI, 20.

3) Thuc. VI, 73. Diod. XIII, 43. Semel priore tempore suffragium clamore latum invenimus: Diod. XI, 92.

4) Γνώμην κυροῦν: Diod. XIII, 33. 92. 95 et saepius.

5) Hoc de solis Dioclis legibus traditur; documenta publica lapidibus incisa a tertio demum a. Chr. saeculo habemus, cf. Boeckh. c. i. Gr. vol. III, sed quod apud Athenienses, idem apud Syracusanos moribus illorum simillimos (Thuc. VIII, 96) institutum fuisse consentaneum est, praesertim quum natura rei ipsa commendetur.

6) Thuc. VI, 72. 73. Diod. XIII, 34. 91. 92. 94. Δοκιμασίαν quae vocatur magistratibus subeundam fuisse, antequam munus inirent, non traditum, sed veresimile est.

biscita exsequenda pervenire poterant, quorum fides majori populi parti spectata erat. Et quum Dioclis legibus sortitio magistratuum institueretur[1]), hoc quidem dubitari vix potest, quin in comitiis, penes quae tum omnis potestas erat, sortitio sit habita. Magistratum, qui deliquerat aliquid, comitia nondum finito munere privare et accusare poterant[2]). Munere defuncti comitiis ipsis rationem reddebant[3]); neque ea in universum tantum rem pecuniariam ordinabant, sed de pecuniis singulis disponebant decernebantque, quantum mercedis militibus solvendum, et unde ea sumenda esset[4]).

Etiam de rebus cum exteris civitatibus instituendis agebatur in comitiis, et a Dioclis temporibus populus ea ita ordinabat, ut minutiarum ad eas pertinentium quoque curam gereret. Decernebat igitur de bello et pace, de foederibus faciendis et resolvendis[5]); referebant ad eum strategi; et quum bello Peloponnesiaco hi potentiam sat largam habuissent[6]), sequentis belli Punici tempore omnia, quae ad bellum necessaria erant, et fortasse etiam ratio belli gerendi ipsa, in universum in comitiis deliberantur et decernebantur, ut strategis plebiscita exsequenda tantum essent[7]). Ad comitia deinde legati aliarum

---

[1]) Diod. XIII, 34.

[2]) Thuc. VI, 103: ἔπαυσαν καὶ ἄλλους ἀνθείλοντο. Diod. XIII, 92 ἐξῆρε τὸν τῶν ἐκκλησιαζόντων θυμόν· ὁ γὰρ δῆμος .... παραυτίκα τοὺς μὲν ἔλυσε τῆς ἀρχῆς. Idem sequitur ex Diod. XIII, 94. Injuste et contra leges Hermocrates postremo munere privatus et in exilium missus traditur (Xen. Hell. I, 1. 27); neque πεταλισμῷ illo id factum, quod Buechsenschützius ad hunc locum statuit. Petalismus non poena judicialis, sed cautio publica erat, qua tunc jam pridem non utebantur, cf. Diod. XI, 87.

[3]) Jam Gelonis tempore hoc factum cf. Polyaen. I, 27, 1.

[4]) Diod. XIII, 93: »διπλοῦς ποιήσειν τοὺς μισθοὺς ὧν ἡ πόλις ἔταξεν;« πόλιν vero ἐκκλησίαν intelligendam sequitur e Diod. XIII, 95, ubi Dionysius eam exhortatur, ne angatur de pecunia.

[5]) Thuc. VI, 103: καὶ κύρωσις (terminus de sciscendo) οὐδεμία ἐγίγνετο. Diod. XIII, 43: ἔδοξε τοῖς Συρακοσίοις ψηφίσασθαι κτλ.

[6]) Quum Hermocrates, qui tunc privatus erat, in comitiis moneret, incursionem Atheniensium imminere, Athenagoras respondit: στρατηγοὶ εἰσὶν ἡμῖν, οἳ σκέψονται αὐτά (Thuc. VI, 40). Cf. praeterea strategi verba ap. Thuc. VI, 41. Polyaen. I, 42, 1. Thuc. VII, 73. 82. 83. 85. Duces cum Gylippo Atheniensibus deditiones condiciones imperant, quarum tamen maximam partem Syracusani (in comitiis: Diod. XIII, 19 sq.) postea antiquarunt: Thuc. VII, 86. 87.

[7]) Diod. XIII, 92: »πολλάκις ἐκκλησίας συναγομένης περὶ τῆς εἰς τὸν πολεμὸν παρασκευῆς.«

civitatum mandata sua ferebant[1]); fugitivi praesidium ab iis petebant[2]); ea de captivorum sorte decernebant[3]). Soluta etiam libera re publica Dionysius speciem comitiorum, quae timore et minis frenabat, reliquit, et interdum iis usus est ad decernendum de rebus exteris, quamquam decreta sibi minus accepta neglexit.

Praeter haec negotia populus de violationibus legum cum rei publicae administratione cohaerentibus judicabat et poenas irrogabat. Itaque in comitiis accusabantur, qui munere aliquo contra leges functi erant; inprimis vero huc pertinebant accusationes de profusa pecunia publica[4]) et de proditione[5]), quae ab accusatore, venia magistratus nullius petita, ad ipsum populum deferebantur. Populus his causis aut judices constituit aut ipse judicavit, a quo judicio provocari non poterat[6]). Dam-

---

[1]) Diserte ἐκκλεσία non nominatur nisi ap. Diod. XIV, 64, quum Dionysius jam tyrannus esset; contionatur ibi Pharacidas Lacedaemonius (c. 70).

[2]) Ducetius: Diod. XI, 92.

[3]) Thuc. VII, 86. 87. Diod. XIII, 19 sq. Plut. Nic. 28.

[4]) Diod. XIII, 94. Dionysius τοὺς τῶν κοινῶν προεστῶτας ita accusat: διαφοροῦντες τὰ δημόσια τοὺς στρατιώτας ἀμίσθους πεποιήκασιν. Hoc quidem non coram comitiis fecisse videtur; verum si comitia εὐθύνας poscebant et de reliquis criminibus contra rem publicam commissis judicabant, certe haec quoque causa ad ea pertinuit.

[5]) Diod. XIII, 94: τὰ δὲ περὶ τῶν προδοτῶν ἐν ἐκκλεσίᾳ βουλεύεσθαι.

[6]) Diod. XIII, 92. 94. cf. c. 96, ubi Dionysius jam tyrannus nihil contra formam delinquit. Etiam Aristot. Politic. VI, 1, 6—9 comitiorum jurisdictionem propriam dicit perfectae δημοκρατίας, quam a Diocle Syracusis institutam esse constat. Fieri tamen ideo potuit, ut talis causa ante collegium judicum e civibus, quibus comitiorum jus erat, sorte compositum ageretur. Hanc jurisdictionis rationem, quam a Diocle demum propter sortitionem institutam esse suspicari licet, indicat Dionysii exhortatio ap. Diod. XIII, 91: μὴ περιμεῖναι τὸν κατὰ τοὺς νόμους κλῆρον, ἀλλ' ἐκ χειρὸς εὐθέως ἐπιθεῖναι τὴν δίκην. His vero verbis inerat aliquid non legitimi, quum Dionysius propter ea multaretur. Interpres quidam rem non satis perspiciens (cf. Wess. ad h. l.) pro κλῆρον conjecturam καιρόν proposuit, quae si vera est, Dionysius postulavit, ne dies legitima (muneris abrogandi? poenae constituendae?) expectaretur. Sed haec mutatio non solum non necessaria est, verum repugnat etiam verbis ἐκ χειρός, quae juxta vocem εὐθέως de modo, non de tempore patet intellegenda. Quare si codd. lectionem retinemus, id tantum contra leges factum esse potest, quod Dionysius populum incitavit, ut legitimorum judicum sortitione non exspectata ipse duces puniret. Cf. infra p. 82. n. 2. Itaque ὁ κατὰ τοὺς νόμους κλῆρος est sortitio legitima judicum, qui ad causam aliquam judicandam e numero civium sorte eligebantur. Qua in re nihil

nati muneris privatione, exilio[1], quocum semper bonorum publicatio videtur conjuncta fuisse[2]), atque interdum, quum de seditione aut proditione agebatur, morte multati sunt[3]). Contra easdem poenas solus populus remittere et hominem in omnia civitatis jura et in possessionem priorem restituere poterat[4]). De causis privatis nihil traditum est, nisi Dioclem poenas certas easque non parvas unicuique legum violationi irrogasse; suspicari tamen possumus, eas causas ante collegium judicum e populo sortitorum esse actas[5]).

Formam rei publicae legitime mutari non potuisse nisi a comitiis, per se intellegitur, quum penes populum summum fuerit omnium rerum arbitrium. Mutabatur vero legibus, quas aut a singulis civibus[6]) aut a viris ad hoc constitutis latas populus comprobavit[7]). Tales autem rogationes, antequam ad populum ferrentur, senatui cuidam propositas esse, aut magistratus cujusdam comprobatione opus fuisse, ut plebiscita promulgari possent, id non traditum et de Dioclis quidem temporibus certe negandum est.

Quum igitur contio summam auctoritatem haberet, magistratus exsequebantur tantum ejus decreta et mandata. In

---

est, quo offendamur; si enim magistratus, qui rem publicam administrabant, sorte constituebantur, idem de judicibus, ubi non totus populus judicabat, certe licet statuere. Etiam e Diod. XIII, 94 id suspicari quidem possumus. Ibi enim amici quidam Dionysii populo suadent, ut duces proditores munere confestim privet et στρατηγὸν αὐτοκράτορα creet »τὰ δὲ περὶ τῶν προδοτῶν ἐν ἐκκλησίᾳ βουλεύεσθαι.« Verba vero »ἐν ἐκκλησίᾳ« secundum sententiarum connexum non exspectantur, sed potius temporis notio, velut ὕστερον. Quod tamen posita sunt, speciale Dionysii amicorum consilium produnt: callide ii hanc rem in comitiis, quae facile terriculis moveri et flecti putabant, absolutam volunt nec judicum collegio (hoc enim contrarium est verbis ἐν ἐκκλησίᾳ) commissam, quod collegium sorte compositum magnum adversariorum numerum potuit continere.

[1]) Diod. XIII, 63. 75. E rerum connexu sequitur exilium a comitiis decretum esse.

[2]) Diod. XIII, 92.

[3]) Sic Tyndaridas (Diod. XI, 86) et Bolco (Diod. XI, 91) capitis damnati sunt: quod in comitiis factum esse non traditur; sed priusquam Daphnaeus et Demarchus supplicio afficerentur (Diod. XIII, 96), habita sunt comitia, quae mortem eorum decernere, ni fallimur, coacta sunt, ut Dionysius plebiscitum exsequi tantum videretur. Idem factum est Gelae: Diod. XIII, 93.

[4]) Diod. XIII, 63. 92.

[5]) Diod. XIII, 35.

[6]) Diod. XI, 86. Quod vero imperium paucis (Thuc. VI, 72. 73) aut uni (Diod. XIII, 94) deferebatur, id quodque ad rei publicae mutationem pertinet nec nisi lege fieri potuit.

[7]) Diod. XIII, 33—35.

universum nomina eorum sunt ἀρχαὶ[1]) et ἄρχοντες[2]); nec tamen definiri potest, num posteriore hoc nomine magistratus archontibus Atheniensibus similis fuerit significatus[3]); id unum constat, ἄρχοντας saepe fere idem esse atque στρατηγούς[4]). Ubi vero ad bellum proprie duces constituebantur, vix dubium est, quin hi maxime ex iis civibus, qui dignitate, auctoritate, divitiis excellebant, etiam post Dioclis leges creati sint, ita tamen, ut ab eo demum jus hujus muneris adipiscendi ad omnes cives videatur translatum[5]). Numerus pro temporibus varius erat; collegium enim, quod initio expeditionis Atheniensium quindecim virorum fuerat, eodem tempore ad numerum trium comminutum est[6]), quum dispersum illud imperium non sufficeret; Dioclis vero legibus rursus decem constituti sunt[7]), qui commune imperium non in vicem, sed ita habebant, ut penes unum quodammodo principem summa auctoritas esset[8]). Fortasse jam hieme creati munus vere demum inierunt[9]). Pacis

---

[1]) Diod. XIII, 34.

[2]) Diod. XIII, 91; etiam magis generali nomine dicuntur οἱ ἐν τέλει ὄντες (Thuc. VII, 73) et οἱ κοινῶν προεστῶτες (Diod. XIII, 94.)

[3]) Cogitari hoc potest, quum Syracusanorum et Atheniensium res publicae multis rebus similes fuerint.

[4]) Agatharchus, qui classis parti praeerat, ἄρχων dicitur. Thuc. VII,25. Verbis »τοῖς ἄρχουσι ταῦτα λογιζομένοις (Thuc. VII, 73) strategi intellegendi sunt; item apud Diodorum ἀρχὴ strategi munus significat, ἄρχοντες et συνάρχοντες sunt Dionysii συστράτηγοι. Diod. XIII, 92. 94.

[5]) Diocles, qui unus e multitudine, ut popularium dux, videtur fuisse, a. 409 exercitui praeerat. Diod. XIII, 59. 61. Dionysius, quem nobili loco constat non ortum esse, quum populo, ignobilos viros (δημοτικούς, ταπεινοτέρους) ut duces crearet, suasisset, ipse dux electus est. Diod. XIII, 91 sq. Sed ante Dioclem hos honores omnibus concessos fuisse, non credendum. — Sorte vero unquam electos esse etiam duces, nemo sibi persuadebit.

[6]) Thuc. VI, 72. 73. 103.

[7]) Diod. XIII, 92. 94. numero non definito in universum de ducibus et collegis Dionysii loquitur; sed secundum Plat. epist. VIII pag. 354 d. ante Dionysium decem fuerunt. (De genuitate harum epistolarum quaerere non ad me pertinet; certe antiquitate ortae et Ciceroni et Plutarcho notae fuerunt atque in omnibus fere rebus cum ceteris fontibus ita congruunt, ut iis uti non dubitem, ubi illos replent. Cf. etiam Grotium l. l. V. p. 656 n. 114.) Auctus igitur ille numerus a Diocle originem duxit, cum cujus sententiis bene convenit.

[8]) Vide Xen. Hell. I, 1, 27 sq. et Diod. XIII, 34. 59 86; quocum cf. 88 (cum Wess. annot). 91. sq.

[9]) Secundum Thuc. VI, 73 duces hieme magistratum iniisse videntur; sed tres illi duces extra ordinem hieme a. 414/3 creati, priusquam munus inirent, legati extraordinarii alias in urbes sunt missi. Thuc. VI, 73. 75 sq. Nec de munere pristinis ducibus statim abrogando tunc actum est; tum enim Thucydides, ut VI, 103 pro εἵλοντο dixisset

quoque temporibus praeter curam rei militaris haud nihil ad rei publicae administrationem valebant[1]). Eos magistratus, qui sub strategis singulis partibus terra marique praeerant praeterire posse mihi videor; id unum commemoro scribas quoque e civibus electos et magistratus habitos esse[2]).

Reliquorum magistratuum, qui administrandae rei publicae praeerant, ne nomina quidem tradita sunt, nedum munia quae praestabant[3]), excepto δήμου προστάτῃ[4]); qui quidem magistratus omnino singularis aliis quoque quibusdam in urbibus, quae ab institutis Doriensibus defecerant, invenitur[5]). Atque id quidem dubitari vix potest, quin hoc munus in intestinis pugnis vulgi numero celeriter aucti, cui verbis primo, tum re patrocinabantur, paullatim ortum sit propter crescentem ejus contra nobiles illos γαμόρους invidiam[6]). De officiis vero nihil constat nisi et in comitiis et extra comitia eos a partibus

---

ἀνθείλοντο. Deinde VI, 94 ver a. 413 incipit, et c. 96 Hermocrates reliquique duces ἄρτι munus suscepisse dicuntur. Etiam e Diod. XIII, 92 sequitur, non hieme, certe post mensem decembrem fuisse legitimum et ordinarium muneris initium. Cf. etiam Diod. XI, 91.

[1]) Cf. supra p. 24. n. 7.

[2]) Wess. ad Diod. XIII, 96 hoc negat; sed in majoribus documentis Siculis, quae diem tulerunt, omnibus nomina eorum cum reliquis magistratibus inveniuntur. Cf. infra p. 79. n. 2.

[3]) Magistratum γυναικοκόσμοις Atticis et ἁρμοσύνοις Lacedaemoniis similem a Diocle institutum esse, e fragm. Phylarchi ap. Athen. XII, p. 521. b sequitur; nomen vero non novimus. Leges de luxu quum jam Gelonis temporibus exstitissent (Diod. XI, 38), a Diocle denuo promulgatae tantum et fortasse latius extensae esse possunt.

[4]) Thuc. VI, 35. Diod. XIII, 91 (loquitur hoc loco de pluribus). 92.

[5]) Vide O. Muelleri Dorier II, p. 139. 148. 154. 159.

[6]) Similes videntur fuisse tribunis plebei Romanis; cf. O. Muelleri comparationem l. l. p. 57 et Diod. XIX, 5, ubi memoria hujus muneris Diodori animo videtur obversata esse. Jure O. Muell. p. 154 et Tittm. magistratus contendunt eos fuisse, quod Schoemannus, gr. Alterth. I, p. 180 negavit. Consequitur illud non solum e Thuc. VI, 35, ubi Athenagoras quum populi amicus tum δήμου προστάτης appellatur, sed e Diod. XIII, 91, ubi creatio eorum προστατῶν, qui toti insulae periculosi sint, vituperatur. Errat vero Muellerus, si contendit, Syracusis eos plerumque comitiis praesedisse, cui sententiae omnes loci repugnant. Nomen vero, quod uterque falso »Volksvorsteher« vertit, originem duxit a locutione δήμου προΐστασθαι, quae sane potest significare »populo praeesse«, sed in civilibus Syracusanorum de re publica discordiis idem est, quod »populo patrocinari.« Sequitur hoc e Diod. XIX, 5, ubi Agathocles et δημαγωγῆσαι ποικίλως τὰ πλήθη et δημοκρατίας (non δήμου!) προΐστασθαι προςποιηθῆναι dicitur; hoc enim significare non potest finxisse illum se populo praeesse. Itaque si nomen per »populi patronos« vertimus, bene convenit cum eorum muneribus, de quibus dubitari non potest.

vulgi stetisse et cavisse, ne ullum ejus jus aut tota libertas solveretur[1]). Quum igitur plurimum suffragatorum multitudine ad comitiorum decreta valerent, crescente comitiorum vi negotiorumque numero, ipsi mox summam in re publica administranda nacti sunt potestatem.

Nec singulorum denique civium quae fuerint officia et jura, aliquanto accuratius et amplius constitui potest. Omnibus Syracusanis, etiam humillimis, dummodo civium albo essent adscripti[2]) et ad aetatem quattuor et viginti ferme annorum pervenissent[3]), quin contioni interesse, in ea rogationes ferre et sententias dare, itemque judicibus fieri licuerit, hoc sane, quum summa potestas jam dudum penes populum esset, dubitari minime potest[4]). Attamen ante rogationes Dioclis in adipiscendis honoribus non omnes pari jure utebantur. Nam praeterquam quod magistratus et honores, ut quisque ad rem publicam gerendam promptior et magis idoneus erat, ita in eum deferebantur, etiam censu discrimen videtur constitutum fuisse[5]). Quales autem fuerint hi honores, quales et quot civitatis ordines, non liquet: id unum constat, Dioclem haec discrimina sustulisse et, quominus denuo irreperent, conatum esse prohibere, quum omnes magistratus, exceptis iis, quibus peculiares quaedam scientiae necessariae erant, sorte sumendos institueret, ita ut pauperioribus quoque civibus ad summos in re publica honores pateret aditus. Simul nescio an praeceperit, ut pauperibus, qui tale munus subirent, quasi quoddam stipendium solveretur, quemadmodum jam ante eum munia quaedam a civitate empta esse constat[6]).

---

[1]) Vide Athenagorae orationem ap. Thuc. VI, 36—40. Fortasse etiam magistratus delinquentes et ipsos strategos coërcere poterant, ut ephori Lacedaemonii; certe Diod. XIII, 91 ita potest explicari.

[2]) De albo v. Diod. XI, 86.

[3]) Nec Philistus, nec Dionysius hanc aetatem valde excessit, quum a. 406 in comitiis verba facerent; cf. pag. 4 n. 3 et pag. 78 n. 2.

[4]) Cf. praeterea Thuc. VI, 39.

[5]) Syracusis certus erat numerus civium, qui belli temporibus equitatum efficiebant et ipsi ἱππεῖς appellabantur cf. infra p. 34, n. 1; quem numerum a. 439 duplicem esse factum Diod. XII, 30 tradit. Jam sive hunc militandi modum honorem, sive officium divitum censemus fuisse, certe inde discrimen civium censu constitutum esse cognoscimus, quum militia illa maximos sumptus imponeret. Quod etiam clarius demonstrat Athenagorae oratio (cf. Thuc. VI, 39); quamquam enim hic eam, quae tunc erat, δημοκρατίαν tuetur, tamen concedit »φύλακας μὲν ἀρίστους εἶναι χρημάτων τοὺς πλουσίους«; itaque non prohibet, quominus certa munera in divites solos deferantur.

[6]) Militiae, cui viri infra quadraginta annos nati videntur vacasse (Diod. XIII, 95) atque temporibus periculosis etiam homines humiliores armorumque parum periti (Thuc. VI, 65. 72), stipendium constitutum

Quum igitur unicuique, etiam humillimo civi, rei publicae pro virili parte gerendae potestas esset facta[1]), fieri non potuit, quin hac potestate, animis insuper recenti victoria elatis, plures quam antehac etiam frui cuperent: qua re singulae factiones ad certamen omnium virium contentione sustinendum excitatae, et nescio an novae quoque ortae sint. Illa enim popularis factio, quae rem publicam modo ab exteris hostibus liberasse sibi visa est, etiam ab intestinis eam nunc vehementer cupiebat defendere, quum re vera paucis illis plebis patronis et assentatoribus, maxima ex parte parum idoneis, prorsus eam traderet. Contra, quamvis tunc pari jure civium plerique uterentur, tamen adhuc erant viri, qui, oriundi sine dubio ex illis veteribus et nobilibus fundorum possessoribus, ipsi agri cultura, equorum educatione, mercatura factitanda, denique divitiis ceteros superabant, ut militiam equestrem inprimis praestarent. Hi igitur nobiles, etsi non aperte contra popularem rei publicae statum agebant nec opum et generis differentiam, qua a ceteris sejungebantur, palam prae se ferebant, tamen ei, qui erat, rerum statui infensi erant, nec solum, quominus etiam latius effunderetur populi potestas, prohibere, sed angustioribus etiam finibus rursus eam includere cupiebant. Quare ubi tempus opportunum videbatur, regnandi cupiditati, quam prorsus

---

erat. Diod. XIII, 93. Polyaen. I, 43, 1. Θεωρικόν quoque Attico illi simile pauperiores videntur accepisse (Diod. XIII, 94); quod num a Diocle demum solvi jussum sit, non liquet.

[1]) Aristot. Politic. V, 3, 6: »ὁ δῆμος ἐκ πολιτείας εἰς δημοκρατίαν μετέβαλεν.« Quae vero sit utriusque vocis vis apud Aristotelem, intellegitur ex libr. III, 5, 2 (ὅταν δὲ τὸ πλῆθος πρὸς τὸ κοινὸν πολιτεύηται συμφέρον, καλεῖται τὸ κοινὸν ὄνομα πασῶν τῶν πολιτειῶν πολιτεία) et III, 5, 4. (παρεκβάσεις τῶν εἰρημένων . . . . δημοκρατία δὲ πολιτείας, et paullo infra ἡ δὲ δημοκρατία ἐστὶ (μοναρχία) πρὸς τὸ συμφέρον τὸ τῶν ἀπόρων). Diocles igitur, ut vulgus rei publicae magis prodesset, quam antea, non perfecit, sed rem publicam in solius multitudinis commodum permutavit; nec, quod inter singulas civitatis partes erat, discrimen, legitime sustulit, sed etiam majus reddidit. Quare postea Timoleon, quem re vera δημοκρατίᾳ favisse nemo negabit, rursus constituta libera re publica eas Dioclis leges, quae ad jus privatum spectabant, solas iteravit. Diod. XVI, 82. Certissimum autem judicium, quod de Dioclis institutis — ut de qualibet rei publicae constitutione — ex historia tantum civitatis ferri potest, iis continetur, quae sequenti tempore evenerunt: praeterlapsis enim circiter sex annis civitas ita perculsa et afflicta erat, ut rei publicae forma prorsus mutaretur. Quare in ea δημοκρατίᾳ, quam Diocles instituit, jam videtur origo latuisse illius, quam Arist. Politic. IV, 4, 4 sq. optime describit; nec justo acerbiora sunt, quae de Diocle judicavit Niebuhrius l. l. III, pag. 205.

deponere nunquam poterant, satisfacturi supra aequitatem escendere studebant. Quae propter bellum feliciter gestum acciderant, iis vel minime contenti, jam reapse certe vulgus ab omnibus honoribus reique publicae administratione conabantur detrudere[1]). Atque ad hos odio vulgi effrenati et malae rei publicae formae taedio commota jam ea civitatis pars magis inclinare coepit, cui persuasum erat, liberam quidem esse debere rem publicam, sed eam, in qua nec divitiis solis et ortu nec vulgi libidine, sed intellegentia meritisque suus cuique locus suumque in administratione momentum constitueretur. Ab Hermocrate vero, quem ducem sibi a natura datum esse arbitrabantur, hi viri rem publicam servatum iri sperabant[2]).

---

[1]) Quantopere haec factio, parva quidem, sed valida, inde a Gelonis temporibus (Arist. Politic. V, 2, 6: οἱ εὔποροι) populo restiterit, per complura historiae Syracusanae saecula persequi possumus (cf. Diod. XIX, 4. 5. 6. 9.). Expeditionis Atheniensium tempore ab Athenagora ap. Thuc. VI, 39 δυνάμενοι vocantur et ὀλιγαρχίας affectatae arguuntur; similiter δυνατοί ap. Thuc. V, 4 δήμῳ et πολλοῖς opponuntur. Dux δυνατωτάτων, quod nomen Diod. XIII, 91. 96. 113. iis tribuit, proximis annis inprimis Daphnaeus apparet. His vero vocibus civitatis factiones significari et πολλοῖς et δήμῳ oppositas, e Diod. XIII, 93 maxime colligitur, ubi εὐπορώτατοι vel (ut paullo inferius vocantur) δυνατώτατοι cum δήμῳ rixati esse dicuntur; itemque ex Arist. Politic., ubi vero V, 4, 5 πλούσιοι et alio loco (V, 8, 3—4) γνώριμοι dicuntur. Fuerunt igitur opulentissimi, quod Diod. quoque XIV, 66 refert. Iidem autem hi sunt viri, qui ἱππεῖς appellantur, quasi iis solis, tanquam ordini peculiari, hoc nomen proprium fuerit distinguens eos et a mercenariis, quos Dionysius equis instruxerat, (Diod. XIII, 112 cl. Xen. Hell. II, 3, 5) et a ceteris civibus (Diod. XIV, 7. 9.); atque seditio eorum simpliciter ἀπόστασις τῶν ἱππέων etiam postea vocatur. Diod. XIV, 44. Quin nobilis quidam Syracusanus a Diod. XIV, 64 ἐν τοῖς ἱππεῦσιν εὐδοκιμῶν appellatur, ut de significatione vocis dubitari non possit. Atque quum equorum in Sicilia et militiae equestris fuerit magna aestimatio, facile intellegitur, ἱππεῖς potissimum vocem honorificam esse factam; quid quod Spartae quoque electus juvenum numerus ἱππεῖς vocabantur, quamquam ὁπλῖται erant? Cf. O. Muell. Dor. II, pag. 237. Quantum autem inter equites et populares fuerit odium, cognoscitur e crudelitate, qua illi Dionysii, quem principem popularium putabant, uxorem ulciscebantur; neque illud praetermittendum est, quod hi a. 404, tyrannum opinati jam expulsum esse, illos equites, a quibus modo auxilium petiverant, in civitatem non recipi, sed Aetnam redire volebant.

[2]) Hermocratem, qui proximo tempore factionis alicujus princeps apparet, sunt qui putent nobilibus et optimatibus ita favisse, ut paucorum imperium affectasset. Qua in re certe falluntur. Nam factionis divitum illorum et nobilium, qui postea filiam ipsius turpiter foedarunt, prorsus nullo modo fuit particeps. Ejus enim consilia et ante et post Atheniensium expeditionem semper rei publicae commodum respi-

Sed ut redeamus ad rerum cum exteris civitatibus gerendarum rationem, etiam de hac singulae civium partes diversa sentiebant. Populares enim, qui jam antea adversus minores civitates importunos et superbos se praebuerant[1]), plurimum putabant perfici posse, si primum bello Atheniensium in Sicilia sociis illato orientalis insulae pars plane subjiceretur[2]). Hermocrates vero et qui cum eo faciebant nihil nisi moderate principatum Syracusarum in Sicilia appetentes[3]) neque eum tum demum firmum et solidum fore ignorantes, quum Atheniensibus plane prostratis Spartani maximam Syracusanis deberent gratiam, rogabant, ut classis Lacedaemoniis auxilio mitteretur[4]), praesertim quum jam auctumno superiore cives laetabundi ob victoriam hoc illis promisissent[5]). Atque quum Hermocratem patriae intestini status taederet nec fugeret, quantum ad prosperum hujus expeditionis eventum sua ipsius virtus valeret, perficere est conatus, ut ipse classi praeficeretur. Quamvis igitur fortasse alii, jam antea ob commercia interrupta bellum aegre ferentes[6]), tunc viam rei publicae regendae

---

ciebant, quum optimates ne proditionem quidem spernerent (cf. infra n. 6.); omnia quae agebat, secundum omnium scriptorum consensum generose fecit, ut communi utilitati serviret, etiam quum jam ingratos esse civium animos esset expertus. Exilium vero a. 410 non nisi ex partium studio decretum esse constat, atque quod denique se restitui cupiebat, cum bonis consentiebat. Sed de his rebus infra in rerum enarratione accuratius agetur. Praeterea in numero amicorum ejus fuerunt, qui neque ortus nobilitate nec magnitudine divitiarum excellerent, ut Dionysius et classiarii, qui ipso duce Spartanis auxilio mittebantur.

[1]) Cf. Curt. hist. Gr. II, p. 469.

[2]) Cum Chalcidicis urbibus annis proximis bellum a Syracusanis gestum esse, apparet ex Lys. or. XX (ὑπὲρ Πολυστράτου) § 26 sq. West. atque, si eam non genuinam habes, e Diod. XIII, 56. Consilium vero hujus belli instaurandi, quamvis certum testimonium afferri non possit, a popularibus inprimis captum esse videtur. Hermocratem enim virum prudentem, ejusque amicos, quum ipsos Athenienses debellare vellent, certe bellum duobus locis gerendum populo suasisse non putabimus.

[3]) Cf. ejus verba ap. Thuc. IV, 59 sq. quum Gelam pacis faciendae causa convenissent.

[4]) Thuc. VIII, 26.

[5]) Thuc. VIII, 2.

[6]) Thuc. VII, 48. 49. 86 tradidit, fuisse Syracusis qui in bellum clam cum hostibus conspirassent. Eos fuisse homines de multitudine et populares, non putabimus, sed viros, qui prae ceteris excellebant, quum solo cum illo Nicia, viro nobili, clam fecissent. Quum vero bonos illos cives, quippe qui cum Hermocrate bellum cum industria gestum vellent, minime fuisse proditores constet, ii tantum intelligi possunt, de quibus jam supra diximus, nobiles fundorum possessores et divites mercatores, quorum potissimum permagni intererat, ut agri rursus colerentur et commercia interrupta reciperentur. Talem factionem pacis cupidam

tanquam unice rectam proponerent eam, ut damna, quorum bellum erat causa, inprimis resarcirentur[1]): tamen non cum Chalcidicis solum urbibus ut pax nondum fieret, decretum est, verum etiam ut ad bellum ipsis Atheniensibus inferendum Lacedaemoniis classis mitteretur. Quae postquam aestate a. 412 Hermocrate inprimis duce ad Peloponnesum et auctumno insequenti[2]) cum Spartanorum navibus ad Asiae minoris oram pervenit, inde ab eo tempore per duos fere annos omnibus proeliis navalibus intererat. Quibus ipsis pugnis, quamquam cum sociis duas acceperat clades[3]), Hermocrates non ducem solum fortem ac prudentem se praestitit, sed extra pugnam quoque vir exstitit et fidus et religiosus in officiis suis erga patriam et classiarios exsequendis[4]), ut hi summa diligentia eum colerent et ob disciplinam militarem ab omnibus sociis magni aestimarentur[5]); ne multa, Hermocratem qui aequaret, tunc non inventus est ex Siculis omnibus[6]). Attamen adversarii ejus, comperto, illum duobus proeliis discessisse inferiorem, opportunam occasionem sunt nacti non solum imperii ei abrogandi, sed etiam urbe eum expellendi. Facile enim in comitiis quum absentem criminarentur, quod is potissimum expeditionis illius imprudenter susceptae fuisset auctor, tandem quamvis contra leges effectum est, ut populiscito cum collegis multaretur exilio[7]). Attamen priusquam ipsi duces de hac re certiores facti essent[8]), a. 410 tanta ad Cyzicum clade denuo

---

Syracusis fuisse et aliquantum apud cives interdum valuisse, e rebus a. 407 gestis apparet, quo anno, quum Hermocrate mortuo et Diocle in exilium misso validissimi factionum principes remoti essent, pacem a Poenis quamvis bellum parantibus peti jussit; cf. infra p. 63.

[1]) Opes quum singulorum, tum reipublicae illo tempore exhaustas fuisse ex Thuc. VII, 48. 49 apparet.

[2]) De tempore v. Thuc. VIII, 2. 26. Erravit igitur Diod. XIII, 34, quum una cum Lacedaemoniis domum redeuntibus etiam Syracusanorum classem auxiliarem vela dedisse narrat.

[3]) Thuc. VIII, 104—106. Diod. XIII, 39. — Xen. Hell. I, 1, 4—7. Diod. XIII, 45—46.

[4]) Thuc. VIII, 29. 45. Quamquam Thuc. VIII, 78. 84 in universum tantum Syracusanos et Thurinos Astyochi ratione belli gerendi non contentos fuisse narrat, tamen ex VIII, 85 apparet, Hermocratem fuisse totius rei auctorem.

[5]) Xen. Hell. I, 1, 26 sq.

[6]) Non solum Thucydides, Xenophon, Diodorus uno ore Hermocratem laudibus extollunt, sed apud Polyb. XII, 25. K. quoque in parvo illo numero excellentissimorum Siciliae virorum invenitur.

[7]) Xen. Hell. I, 1, 27 sq. Diod. XIII, 63.

[8]) De tempore, quo Hermocrates exilio multatus est, a Grotii sententia l. l. V, p. 618 discessi, nec vero a Thucydidis auctoritate, quamvis jam l. VIII, 85 exilio eum multatum esse traderet. Apparet enim Thucydidem hac narratione praeripere aliquid, quod postea tandem

Lacedaemoniorum classis ab Alcibiade affecta est, ut omnibus navibus, quum servari non jam potuissent, ultro incensis, Antandrum confugere cogerentur[1]). Quo quum nuntius ille esset allatus, quamvis classiarii omnes ad unum injuste hoc factum esse conclamantes a ducibus peterent, ne inimicorum voluntati obsequerentur, tamen hi nihil, quod contra leges esset, commiserunt atque aegre tantum eo perducti sunt, ut ratione coram omnibus reddita copiarum imperium retinerent, donec qui id exciperent, advenissent, et classi, quae Pharnabazi impensis strenue aedificabatur, interim praeessent. Quum tandem qui succederent, in Asiam pervenissent, imperio classis Mileti[2]) his tradito Hermocrates ad Pharnabazum se contulit, cujus amicitiam ob virtutem suam jam sibi conciliaverat. Exspectare vero apud se constituerat, dum cum aliqua eventus spe, ab amicis domum reversis adjutus, restitutioni suae operam dare posset: quod tempus non remotum esse videbatur, quum jam per novos Syracusanorum duces fama esset allata, Selinuntios, socios suos, bellum gerere, cui Carthaginienses legatione missa sese immiscuissent.

IV.

Belli Punici causae; res bello gestae usque ad Thermas conditas.

Dum haec ad Asiae minoris oras geruntur, in ipsa Sicilia nova bella exorta. Non quod Syracusanorum cum oppidis

---

accidit (τὰ τελευταῖα), et id tantum ostendere velle, quousque denique Tissaphernis odium processerit. Quo nuntiato revertitur ad interruptam narrationem (vocibus ὁ μὲν οὖν) et refert, tunc Hermocratem Spartam se contulisse ad illustrandam Tissaphernis fraudulentiam. Porro Diod. XIII, 39 diserte testatur, eum imperatorem pugnae ad Cynossema commissae interfuisse; praeterea quum Pharnabazi amicitiam nactus esset, quin ad oras Hellesponti quoque pugnasset, dubitari non potest. Itaque ejus exilium post annum 411 decretum esse apparet. Quodsi Grotius vero l. l. decretum esse paullo post cladem Cyzicenam contendit, adversatur iis, quae Xen. Hell. I, 1, 27 narrat. Nam si duces statim post hanc pugnam de illo judicio certiores facti sunt, id non propter hanc cladem, ut Grotius opinatur, latum esse censebimus, quippe quae Syracusis nondum innotuisset, sed propter priorem aliquam.

[1]) Xen. Hell. I, 1, 11—18. Diod. XIII, 49—51.

[2]) Thuc. VIII, 85. Xen. Hell. I, 1, 31. Errasse Diodorum XIII, 63 jam Wess. ad h. l. annotavit, sed ipse falso ad oras Hellesponti imperium mutatum esse contendit. Classis Antandri jam aedificata esse videtur, quum novi duces advenerunt, qui, quia Athenienses tunc superiores erant, caute tantum in Asiam transvehi poterant.

Chalcidicis bellum[1]) latius patere coepisset etiam aliis insulae urbibus implicatis; nam qui antea Syracusanorum socii fuerant, ii tunc ab utraque parte pariter sese abstinebant, quum certe Syracusarum potentiam, si ad eam augendam contulissent, ipsis mox admodum posse periculosam fieri haud ignorarent. Quapropter in istis regionibus Aetnae vicinis bellum parvis tantum irruptionibus ab alteris alteram in terram factis gestum est, quae identidem repetitae haud magni momenti erant. Sed in ea Siciliae ora, quae inter meridiem et occidentem est, Selinuntii, Syracusanorum socii, quum res tum in insula gestas, utpote quas sibi viderent acceptas, suum in usum convertere studerent, gravius bellum commoverunt. Hi enim jam dudum vicinorum Egestanorum acerrimi hostes erant[2]). Itaque rursus Selinuntiorum ob insolentiam arrogantiamque anno 416 praecipue de confiniis variae rixae inter utramque urbem erant ortae, quae ex parte etiam Atheniensium expeditionis causa fuerant. Egestani enim a Selinuntiis tunc victi quum ab Agrigentinis, Syracusanis, Carthaginiensibus frustra auxilium petiissent, idem rogantes Athenienses adierant et immensarum divitiarum, quibus expeditionis illorum sumptus se ipsos promittebant facturos, simulatione tandem quod volebant, impetrarant[3]). Intra belli annos (415—413) cum maxima parte Siculorum et Sicanorum et cum urbibus Chalcidicis Atheniensibus fidem servaverant, quum Syracusanos adjuvissent Selinuntii, eorum hostes. Qui tunc Atheniensibus in Sicilia devictis sese praeparabant ad veterem illam de confiniis rixam armis discernendam. Tum vero Egestani, ne simul Syracusani cum illis facerent veriti, quippe quorum hostibus modo auxilium tulissent, illos agros sponte sua iis concesserunt. Sed ne hac quidem ratione pax jam poterat restitui; nam freti Syracusanorum societate multoque quam antea superbiores Selinuntii non concessam modo terram, sed etiam regiones adjacentes occuparunt, ita ut Egestani, debiliores quam qui ipsi possent resistere, iterum ut a. 416 decernerent a Carthaginiensibus auxilium petere, quod a Syracusanis recusatum, ab Agrigentinis aut omnino non, aut minus strenue[4]) praestitum iri ipsi satis intellegebant[5]).

Carthaginienses illo saeculo ineunte valde dura fortuna usi erant[6]); nam quo tempore Dareus Graecis bellum inferre coepit,

---

[1]) Cf. p. 35. sq.
[2]) Diod. V, 9.
[3]) Thuc. VI, 6. 8. 46. Diod. XII, 82. 83 (cf. XIII, 4.).
[4]) Cf. infra Agrigenti condicionem.
[5]) Diod. XIII, 43.
[6]) Compositis gravissimis rebus explicare conabor, qualem Cartha-

de tributo soli nationibus Africae indigenis solvendo bellum ortum est, quod quum male gessissent Carthaginienses, pecunia illas placare coacti sunt. Secutae quidem victoriae in Sardinia, Hasdrubale duce reportatae, sed denique una cum ducis morte magna clades[1]), neque multo post (a. 480) ingens illa strages Himeraea, qua perierunt Hamilcar imperator et tota fere Poenorum militia[2]). Tunc Carthaginienses ne ipsa urbs oppugnaretur veriti, supplices Gelonem pacem rogarunt[3]). Neque plus mari tunc videntur profecisse; illud certe constat, a freto Siculo eos a Graecis esse prohibitos, et paullo post terrestrem Carthaginiensium calamitatem secutam esse maritimam Etruscorum, veterum illorum sociorum, quos frustra adjuvare studebant[4]). Quum denique Massilienses quoque, quibuscum de piscatu bellum exarserat, illis temporibus ita eos vicissent, ut pacem imperare possent, tum non solum de bello Graecis inferendo omnino desperabant, sed etiam diligenter eorum maria evitabant[5]). Jam igitur civitas ab hac cum externis populis agendi ratione recederet, necesse erat. Quum vero deinde ad adversarios et proximos et debiliores impugnandos se convertissent, magna mutatio evenit fortunae. Urbi praeerat jam tum sine dubio regia domus Magonis, qui exercitum totamque rem militarem ad certam normam redegerat magnique fuerat momenti in constituenda rei publicae ratione; quin ille effecerat, ut potestas regia in domo sua hereditaria esset. Nam etiamsi posteri ejus, quos supra commemoravimus, Hasdrubal et Hamilcar[6]), misera morte occiderant, filiis tamen

---

ginienses cum exteris gentibus agendi rationem secuti sint et cur tunc eam mutaverint; id enim omnino necessarium duco, si non singula tantum facta componere, sed rerum mox in Sicilia gestarum causas inde repetendas perspicere et quasi vivam imaginem nobis effingere volumus.

[1]) Justin. XIX, 1.

[2]) Cf. Herodot. VII, 165—167. Diod. XI, 20—26. Just. XIX, 2.

[3]) Diod. XI, 24. 26.

[4]) Diod. XI, 51; cf. Momms. hist. Rom. I, p. 325.

[5]) Just. XLIII, 5. Jam antea Massilienses victoriam de Carthaginiensibus reportaverant (Thuc. I, 13), quae non est confundenda cum ea, de qua Justinus tradit. Quamquam enim hujus posterioris tempus certo definiri nequit, illud tamen ex ordine rerum a Justino XLIII, 3—5 enarratarum procul dubio elucet, eam reportatam esse iis temporibus, quibus Graecorum occidentalium classes jam auctae, Carthaginiensium vero opes iis, de quibus diximus, cladibus affectae sunt.

[6]) Herodotus VII, 165 eorum patrem Hannonem nominat, Magonem Justinus XIX, 1. Arn. Schaeferus in diss.: Zur Geschichte von Karthago (inserta est Mus. Rhenan. XV, p. 398) discrimen ita sustulit, ut Justinum, brevioris epitomes auctorem, ab avo statim ad nepotes rebus gestis insignes transiisse conjiceret, quum Herodotum, ut fere aequalem, errasse vix verosimile sit.

eorum, qui sese invicem juvabant, contigit, ut rei publicae administrationem atque adeo regnum sibi servarent[1]). Quod quidem eo facilius factum est, quia domo regia, quae semper bonos viros procreavit, in illa fortunae tempestate civitas carere non poterat, etiamsi libenter gentes nobiles summam potestatem ipsae arripuissent. Princeps familiae annis circiter 480—455 erat Hanno II, Hamilcaris ad Himeram mortui filius, qui de rebus patriae augendis primum eo optime meruit, quod potentiae et imperii ejus in ipsa Libya denuo quasi fundamenta jecit insignemque in modum imperium firmavit. Carthaginienses enim postquam bello rursus illato Libyae indigenas profligarunt, inde ab eo tempore, quum servorum ope agriculturae multo magis vacarent,. praeter mercaturae quaestum etiam e fundis magnas sibi divitias parabant; atque tunc demum re vera septentrionalis Libyae orae erant domini[2]). Nec vero magnum solum imperium in septentrionalis Libyae ora sic conditum est, sed maritimae etiam opes simul restitutae. Etenim Hanno nova classe parata cum Himilcone fratre quum e mari interno, ubi cum Graecis certari jam non poterat, extra Herculis columnas in Oceanum navigasset, deserta hujus orae oppida colonis denuo implevit atque novas omnino colonias partim ex plebe turbulenta, partim ex Afris subjectis eo deduxit[3]). Attamen Hanno, quamquam rem publicam paene omnino novam ac validam condiderat, neglectis his omnibus de patria meritis, postea quasi inimicus reipublicae suspectus

---

[1]) Just. XVIII, 7 extr. XIX, 1. 2.

[2]) Just. XIX, 2. Dio Chrys. or. XXV, p. 522 ed. Reisk: »Καρχηδονίους δὲ Ἄννων μὲν ἀντὶ Τυρίων ἐποίησε Λίβυας« κτλ. Moversius (Phoen. II, 1, p. 474 sq.) et C. Muellerus (Geogr. Gr. min. I, prol. p. 20) putant haec Dionis verba ad p r i o r e m Hannonem spectare. Sed Arn. Schaeferus l. l. p. 399 id monuit, hunc locum jam ea de causa ad Hannonem I. et prius sexti saeculi dimidium referendum non esse, quod illo tempore Carthaginienses multos terrae fructus adhuc ex Sicilia sibi adportare coacti erant. Huc adde, quod Justinus duobus locis disertis verbis testatur, p o s t Hamilcaris et Hasdrubalis mortem demum Carthaginiensibus contigisse, ut novam patriam armis liberarent tributo, modo hanc narrationem non ad tributum quoddam certo constitum, sed ad munera ultro gentibus illis vagabundis, quae ipsorum terram circumsedebant, oblata retuleris. Hae enim gentes difficiles sunt impugnatu, difficiliores in obedientia servatu, itaque donis a Carthaginiensibus fuerint conciliati; tunc vero hi jam ita validi erant, ut a r m i s se defendi satis posse putarent.

[3]) Hannonem eum, quem Justinus et Dio Chrys. l. l. commemorant, eundem esse atque illum, qui clara itinera cum Himilcone fratre suscepta in libro, quem περιπλοῦν vocant, descripsit descriptionemque in Saturni templo dedicans posteris tradidit, elucet ex iis, quae C. Muellerus disputat (Geogr. Gr. min. I prol. p. 20 sq.).

et regni affectati accusatus est[1]). Tum vero gentibus nobilibus tempus opportunum videbatur, quo rem publicam in suum commodum gererent omnesque magistratus in se conferrent. Continuo enim Carthagine gentes nobiles et opulentae certabant cum regia domo, quae opificibus totaque plebe nitebatur, ac plerumque pacis temporibus eam etsi non dignitate, tamen potentia privabant, donec bellum aliquod exortum populi oculos rursus in viros hac familia procreatos converteret ad eosque imperium deferret[2]). Sic tunc novus magistratus e gentibus divitiarum magnitudine insignibus constitutus est, qui in omnes rei publicae magistratus poterat animadvertere rationis reddendae necessitate non imposita[3]); qua re factum est, ut summa potestas gentibus solis paullatim vindicaretur et omnes omnino res in patriciorum commodum converterentur, id quod mox apparuit, quum per complura decennia prorsus aliter, atque antea, cum externis populis ageretur. Etenim quum gentes nihil nisi pacem appeterent, quum ut regiae domui omnis occasio potentiae suae denuo firmandae atque augendae adimeretur, tum ut ipsae possent impavide mercaturae atque quaestui operam navare, externae nationes, quaecunque volebant, Carthaginiensium nulla ratione habita exsequebantur. Sic Tyrrhenos, veteres illorum socios compluribus expeditionibus maritimis Syracusani graviter profligarunt Ilvamque et Corsicam insulas quamvis breve tantum per tempus occuparunt[4]); praeterea bellis inde ab a. 453 gestis Siculorum in interiore insula habitantium partem subegerunt ac paullatim omnium Graecarum urbium principatum sibi parabant. Quibus rebus omnibus quamvis ipsorum Carthaginiensium in insula possessionibus mox periculum exsistere posse videretur, nusquam tamen pristinae Poenorum virtutis vestigium apparebat:

---

[1]) Aristot. Politic. V, 6, 2, quocum cf. V, 10, 3 et Just. XIX, 2. Judicium de eo habitum esse videtur, quo ipse cum fratribus in exilium missus est. Certe unum trium fratrum, Gisgonem, e Diodoro XIII, 43 scimus in exilium missum et Selinunte mortuum esse, etsi causa exilii ea, quam Diodorus statuit, vera fuisse omnino non potest. Ego non dubito, quin illius exilium eodem tempore decretum sit, quo Hanno potentia sua et auctoritate privatus est.

[2]) Optime Schaeferus quum de Hannone magno disputaret (l. l. p. 391 sq.), nos commonefecit rerum per saecula XVII. et XVIII. in Hollandia gestarum. Ibi enim aeque nobiles gentes et ordines cum factione Oranica de republica regenda certabant; apud Carthaginienses vero jam ante Magonis tempora similia facta esse ex Malei factis apud Just. XVIII, 7 concludi licet.

[3]) Just. XIX, 2 quocum cf. Aristot. Politic. V, 10, 3. II, 8, 1—5. Liv. XXX, 46.

[4]) Diod. XI, 88.

inermes ac timidi videbantur pacem agere, ut hoc modo saltem urbes suas et sociorum in insula occidentali ad commercium faciendum optime sitas obtinerent[1]). Ne multa, ut in mari, ita in insula Graeci et Poeni pace tam firma uti videbantur, ut bellum Carthaginiense, nisi Graeci cupivissent, accidere non posset. Quin, Carthaginienses perpetuo in metu versari, ne quando emporia sua in insula sita atque adeo urbs patria in Libya oppugnaretur, Syracusani non ignorabant[2]). Quid quod jam Periclis aetate atque inde magis magisque Athenienses mari superiores Carthaginem spectarant ejusque expugnationem Graecis vel maxime optandam aperte dixerant[3])? Itaque Carthaginienses anxie ab omnibus iis rebus, quae ante Atheniensium expeditionem in Sicilia gerebantur, sese abstinuerant ac ne Egestanis quidem, veteribus sociis, contra Graecos auxilium ferre ausi erant. Non mirum igitur, quod Atheniensibus e Sicilia pulsis Selinuntii insolentius adversus Egestanos animadvertebant, quum neque a Graeca ulla civitate nec vero a Carthaginiensibus juvari eos posse opinarentur.

Quum igitur Egestani a. 410 iterum Carthaginem legatos mitterent auxilium petituros, eventus spes haud major videbatur, quam antea. Sed externarum rerum status, tunc admodum mutatus, non poterat nullius momenti esse ad Carthaginiensium consilium et responsum. Apparuit enim, Athenienses expeditione Sicula tantopere profligatos esse atque adeo a multis hostibus etiamnunc impugnari, ut certe longum in tempus frangerentur; Syracusanos autem, quamvis Lacedaemonios classe adjuvarent, tamen et ipsos ita debilitatos esse, ut opes eorum tunc certe cum Carthaginiensium opibus certare non possent[4]); ceteros praeterea Graecos aut inter sese invidiosos et discordes esse aut aperte bella gerere. Quae omnia quum Carthaginienses haud ignorarent, fieri non poterat, quin principes rei publicae, aut omnes aut pars certe, censerent, aut tunc aut nunquam sociis oppressis auxilium ferendum esse. Quum omnia diu considerata essent, tandem magistratus constituerunt legatione missa Egestanos juvare: fortasse jam hoc modo longiores Graecorum progressus impediri posse. Instigabant in hac re animos ii qui belli cupidi erant; cui factioni in dies crescenti praeerat Hannibal, suffetum prior et idem regiae familiae princeps. Is et e sua ipsius mente et familiae suae more gentium Carthaginiensium ad-

---

[1]) Thuc. VI, 2.
[2]) Thuc. VI, 34.
[3]) Plut. Pericles c. 20. Alcib. c. 17. Thuc. VI, 15.
[4]) Cf. quae Hermocrates apud Thuc. VI, 34 de Carthagine dixit.

versarius et Graecorum inimicissimus erat, quum Graeci Hamilcarem avum ad Himeram et victoria et vita privassent, patrem vero Gisgonem gentes una cum Hannone in exilium misissent, ita ut Selinunte moreretur. Ejus igitur valde intererat[1]), et familiae suae auctoritatem domi integram restituere et patriae clades antea acceptas ulcisci. Itaque quid mirum, quod omnibus viribus nitebatur, ut Egestani armis adjuvarentur, bellumque, quod ipsi profuturum videbat, excitaretur? Nec vero ipse quam periculosum foret bellum contra Syracusanos gerendum ignorabat; itaque hos aut sibi conciliare et prorsus in suam partem trahere aut certe ad abstinendum bello studebat commovere. Idque satis callide instituit. Legatis enim missis quum Selinunte nihil effectum esset, a Syracusanis petiit, ut de urbium illarum discordiis ipsi judicium ferrent. Qua re non solum vanitatem eorum palpabat, sed, quum haud dubitaret fore, ut Selinuntii cessuros se tali judicio negarent, — quod re vera fecerunt — simul animos Syracusanorum contra Selinuntios instigatum ideoque illos in Poenorum partes flexum iri sperabat. At fefellit eum haec posterior exspectatio, nec commoti sunt Syracusani, ut communibus Graecorum commodis posthabitis cum Poenis se conjungerent ad Graecam urbem opprimendam. Perspectis enim illis fallaciis responderunt »velle quidem sese pacem cum Carthaginiensibus factam servare; simul autem cum Selinuntiis societatem se iniisse.« Recusato tali modo judicio significarunt quodammodo, si Poeni Graecarum rerum etiam magis in partes venirent, quid esset eventurum: scilicet ut ipsi quoque belli participes fierent, et quidem a parte Graecorum. Sed simul Syracusani tam occaecati et stolidi erant, ut Carthaginienses ambiguis illis verbis et vanis pacis simulationibus contentos fore opinarentur. At hi jam debebant ad arma concurrere, nisi patriae honorem prorsus neglegere omnique in Sicilia auctoritate privari volebant. Itaque quum legati Syracusis rediissent, Hannibal, qui in spem belli jam antea imperator creatus erat, quae ad tuendos Egestanos utilia et idonea viderentur, jussus est exsequi[2]).

Itaque bellum exortum. Confestim in Africa ipsa quinque milia peditum, qui Egestanis auxilio mitterentur, instructi et

---

[1]) Erravit igitur Niebuhrius (Vortr. über alte Gesch. III, pag. 199), quum dixit: »Es kam den Karthagern ungemein erwünscht, als die Elymer sie einluden nach der Insel zu kommen.«

[2]) Diod. XIII, 43. Quod Diodorus de συμμαχίᾳ, non de ἐπιμαχίᾳ loquitur (de utriusque vocis vi cf. Thuc. I, 44), eo Syracusanos elucet non comprobasse solum consilia et facta Selinuntiorum, sed, si opus esset, etiam cum his ire ad arma voluisse.

praeterea octingenti Campani, homines bellis assueti, qui forte militia tunc vacabant, coacti iisque Poena pecunia equi sunt comparati. Tum incursiones alternae inter duas illas urbes Siculas denuo ac vehementius institui coeptae. Primum quidem Selinuntii, copiis et opibus florentes, aliquamdiu secundo Marte pugnabant, donec eos, superiorum virium fiducia jam securiores, Egestani impetu tam inopinato tamque prudenter instituto adorirentur, ut circiter mille homines occiderent praedamque omnem ab hostibus factam iis eriperent. Quo proelio commisso utraque pars, altera Syracusas, Carthaginem altera, misit, qui celere auxilium peterent. Quum vero Syracusani, quamvis auxilium promitterent, etiam nunc totam rem spernerent, Carthaginienses, quam gravis esset, non ignorabant magnique belli exspectatione omnia necessaria comparare praeparabant. Hannibale belli cupido omnia summa cum industria ordinante apparatus omnis generis instituuntur copiaeque ingentes quum in ipsa Africa deliguntur, tum ex omnibus maris interni oris conficiuntur; insequenti hieme (a. 410/9) classis instructa, ut ineunte vere confestim expeditio suscipi et hostibus praeveniri posset. Magnitudine vero apparatuum satis apparebat, Hannibalem non Egestanis tantum auxilium laturum, sed multo majores res moliri[1]).

Primo vere anni 409, exeunte mense Februario vel ineunte Martio[2]) copiae Carthaginiensium circiter mille quingentis na-

---

[1]) Diod. XIII, 44.

[2]) Diodorus l. l. Hannibalem aestate et hieme a. 410 bellum parasse narrat, »διανοούμενον τῆς ἐαρινῆς ὥρας ἐνισταμένης διαβιβάζειν τοὺς δυνάμεις.« Sed ex alio ejusdem loco (XIII, 54) Hannibal eo demum tempore, quum Diocles Athenis jam coepisset ἄρχειν i. e. media aestate a. 409 in Siciliam exercitum trajecisse potest videri. Quod cave opineris. Quum enim priore loco ver commemoratum sit, Diodorum apparet narrationem continuam secutum esse, quamvis annalium speciem, ut solet, ad annum Atticum ordinatorum efficeret. Narrationi suae Dioclis archontis nomen tantum interposuit, ut annum integrum atque, ut ita dicam, naturalem, quo res gerebantur, indicaret. Nec reapse dubitari potest, quin Hannibal, quum ad transportandum exercitum jam omnia parata essent, non in mediam aestatem cunctatus sit, sed statim, ubi navigare poterat, i. e. statim post dies festos Melkarti, qui inde a rege Hieram jam mense Februario agebantur (cf. Dunkerum in libro qui inscribitur Geschichte des Alterthums I, p. 526 ed. III), Carthagine solverit. Ad hoc autum festum usque Carthaginienses esse moratos, ut Athenienses quoque ante Dionysia non solvebant, id pro certo habere possumus. At inveniuntur duo scriptorum loci, qui vel annum ipsum, qui ita traditus nobis est, ut dubitari vix posset, in disceptationem vocent. alter Xenophontis (Hellen. I, 1, 37), alter Diodori (XI, 49). Atque primum quidem de Diodori loco agemus. Qui quum ἐπ' ἄρχοντος Ἀθήνησι Φαίδωνος, i. e. anno 476, Himeram novos colonos deductos et civitate

vibus onerariis, quas tuebantur longae sexaginta, in Siciliam transvectae et ad occidentale promontorium Lilybaeum expositae sunt. Exercitus terrestris, quamvis ingens variisque machinis satis instructus, tamen Hannibalis jussu prope promontorium castra fecit, ut Egestanorum aliorumque sociorum adventum exspectaret, priusquam procederet. Immensae erant atque adeo timendae copiae, collatae cum Graecorum qui iis resisterent paucitate: imperabat enim Hannibal, si equites numero comprehendimus, circiter centum milibus militum, quibus ipso pugnae tempore viginti fere sociorum milia accesse-

---

donatos esse narrasset (XI, 48. 49), denique pergit: »οὗτοι μὲν οὖν μετ' ἀλλήλων καλῶς πολιτευόμενοι διετέλεσαν ἔτη πεντήκοντα καὶ ὀκτώ· τότε δὲ πόλεως ὑπὸ Καρχηδονίων χειρωθείσης καὶ κατασκαφείσης διέμεινεν ἀοίκητος μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς καιρῶν.« Ex hoc igitur loco Himera jam a. 418/7 diruta esse videtur. Quod perversum esse ex Diodori locis l. XIII, 44 et 54 sqq. (cf. inprimis c. 62) satis apparet. Quaestionem vero Kruegero et Arn. Schaefero ducibus et auctoribus nunc solvere possumus. Ille enim in dissertatione de Thucydidis pentecontaëtia conscripta, quam stud. hist. et philol. vol. I inseruit, p. 151 sq. conjecturam fecerat, archontum nomina Phaedonis et Apsephionis a Diodoro commutata esse, hic vero in dissertatione (de rerum post bellum Persicum usque ad tricennale foedus in Graecia gestarum temporibus) 1865 edita, pag. 8—11 tam certis argumentis, unde Diodori error ortus esset, explicavit, ut nulla dubitatio relinqueretur. Nomen enim Ἀψεφίωνος vel Ἀψηφίωνος vel Ἀψίωνος vel Ἀφεψίωνος saepius vel corruptum vel oblitteratum neque a Diodoro solo, sed ab aliis quoque scriptoribus cum Φαίδωνος vel Φαίωνος nomine permutatum est; quam sententiam ne Kruegerus quidem in libello nuperrime edito (Kritische Analecten II, 1867) solitis obruit calumniis et malitiis. Ne longus sim, ad annum Φαίδωνος (a. 476/5) Diodorus Himerae restitutionem falso adnotavit, quae ad Φαίωνος — sic enim in Diodori codicibus XI, 63 scriptum est — vel potius Apsephionis archontis annum sive ad a. 469/8 pertinebat. Quodsi civitas Himeraea inde ab illo tempore per totos quinquaginta octo annos i. e. in annum 410 floruisse a Diodoro l. l. traditur, jam nihil in hoc testimonio inest, quod aliis locis (XIII, 44 et 54) repugnet. Transeo igitur ad Xenophontem, qui quum Hellen. I, 1, 37 de Hannibalis expeditione pauca adnotasset, c. 2 ita pergit: »τῷ δὲ ἄλλῳ ἔτει, ᾧ ἦν Ὀλυμπιὰς τρίτη καὶ ἐνενηκοστή..... ἄρχοντος δ' ἐν Ἀθήναις Εὐκτήμονος, Ἀθηναῖοι μέν« κτλ. Quum vero olympias 93. a. 408 celebrata esset eodemque anno Euctemon archon magistratum iniisset, Xenophon cum Diodoro consentiens Hannibalis expeditionem recte notavisse videtur. Sed illae temporum notationes spuriae sunt et eae res, quae c. I. continentur, aut a. 410 aut 411 attribuendae, ita ut etiam Selinus et Himera jam ante a. 409 dirutae essent, quod cum Diodori narratione conciliari non potest. Sed res Siculas, quum extra omnem rerum ceterarum connexum praeterea insertae sint, nec minus interpolatas habebimus (cf. supra p. 11 sq.), ut Diodoro fidem neque addant nec demant.

runt[1]). Sed tamen maxima ille cum prudentia egit; classem enim paullo magis ad septentrionem in sinum Motyensem proficisci et subduci jussit, quum ut oppidum munitum iis contra hostium impetus praesidium praeberet, tum ut Syracusanis de Selinuntiorum tantum superbia frangenda cogitari ostenderetur[2]). Carthaginiensium enim, nisi fallor, magistratus cum ipsa urbe, quae paullo ante Atheniensium exercitum perdiderat, dimicare dubitabant ac potius nitebantur, ne reliquae urbes Graecae sibi metuerent neve ulla de causa belli participes fierent. Sine dubio Hannibal, quid agendum esset, jam dudum apud se constituerat, id quod postea proeliis subito et paene continuo commissis comprobatur; quum vero certa quaedam a senatu mandata essent, audere nihil poterat, ne statim ineunte bello clade forte accepta aut cruci affigeretur aut certe imperio privaretur. Inde intellegitur, cur, quamquam majorem exercitum et omnia bene ac diligenter praeparata habebat, tanta omnibus in rebus cautione usus sit.

Si ulla civitas Carthaginienses rerum Sicularum causa non usque ad arma progressuros opinata erat, Selinuntiis hoc contigit. Atque multae res huic opinioni favere videbantur. Urbs enim Selinus inter Hypsam et Selinuntem fluvios haud procul a mari sita in planitie, quae paludibus siccatis ad agriculturam

---

[1]) Diod. XIII, 54. 59. Testem numerorum sequor Timaeum, qui jure, etsi suo arbitrio, ingentes exercituum hostilium qui tradebantur numeros comminuit. Cui fidem addit etiam Xenophonteus locus (Hellen. I, 1, 37), nisi eum non de tempore solum, sed de re quoque errare censes; ac Diodorus ipse ejus numeros unice rectos agnovit, quamquam illo loco (XIII, 54) secundum Ephorum idem una narrat, Hannibalem cum ducentis milibus peditum et quattuor milibus equitum trajecisse, ita ut ex hoc quidem nuntio totus exercitus cum sociis ducentis viginti quattuor milibus militum constiterit. Sed cum his nuntiis conferamus eos qui de exercitus Hannibalis ante Himeram collocatione traduntur. Quadraginta milia in locis editis paullum ab urbe remota castra ponere jussit, integro reliquo exercitu urbem obsedit (Diod. XIII, 59). Itaque secundum Ephori computationem exercitus obsidioni destinatus centum octoginta quattuor milibus constiterit — qui numerus jam per se nimius videtur collatus cum magnitudine alterius exercitus — e Timaei autem sententia octoginta tantum milibus. Tum Diodorus narrat, Himeraeos inopinata eruptione facta hostes consternatos fugasse; »octoginta enim hominum milibus in unum locum coactis« effectum esse, ut barbari ipsi perturbarentur (Diod. XIII, 60). Secundum hunc nuntium sine dubio exercitus urbem obsidens octoginta, et cum eo, qui in collibus castra posuerat, centum viginti tantum milibus militum constitit, quod Timaeus tradiderat. Etiamsi igitur Diodorus illo loco (c. 54) Timaei et Ephori nuntios, judicio suo aperte non addito, tradiderat, ex hoc tamen certo apparet, eum Timaei numerum solum verum duxisse.

[2]) Diod. XIII, 54.

inprimis idonea erat[1]), magnitudinem atque opes, quamvis non tantas, quantas Syracusae vel Athenae, satis magnas tamen, ut illis temporibus, habebat. Nam amplius duobus saeculis, ex quo condita erat[2]), praeter longam oram maritimam ab orientali urbis parte sitam etiam eam, quae a ripis Mazari fluminis usque ad Lilybaeum promontorium porrecta est, salubritate et amoenitate insignem[3]), magnamque terram in interiore insula, quae septentrionem versus usque ad Egestanorum fines pertinebat[4]), paullatim obtinuerat. Ager maxima ex parte fertilissimus, per servos strenue cultus, abundantiam variorum fructuum[5]) proferebat, ut cum quaestu peregrinis venderentur. Ita incolae paullatim in numerum triginta milium hominum aucti erant[6]), qui nec privatis divitiis nec publici thesauri magnitudine ab ulla Graeca urbe superabantur[7]).

---

[1]) Cluverii Sicil. ant. ed. contr. Bunonis p. 123 sq. D'Orvillii Sicula I, p. 64. Cf. Curtium, hist. Gr. II, p. 454.

[2]) Diod. XIII, 59. Utrum Selinus ducentis quadraginta duobus an, quod suspicatus est Ph. Cluverius, ducentis triginta duobus annis ante condita fuerit, nec huc pertinet, nec in animo est dijudicare; cf. de ea quaestione Wesselingii notam ad h. l.

[3]) Urbem cognominem, cujus in ditione planities illa esse potuisset, tunc nondum exstitisse, quamquam secundum Diod. XI, 86 exstitisse videri potest, jam Wessel. ad Diod. XIII, 54 comprobavit. Prior enim locus (XI, 86) reliquis omnibus Diodori nuntiis repugnat; itaque pro Λιλυβαίοις aliud nomen ponatur necesse est, quod nescio an debeat esse nomen Selinuntiorum. Hanc enim in conjecturam perducimur, si Selinuntis et Egestae situm respicimus; eademque bene quadrat ad eam rem, quod illo tempore (a. 454) Graeci denuo in occidentalem et interiorem insulam longius progrediebantur, nec non ad verba συνέβη ... καὶ τῆς φιλοτιμίας μὴ λῆξαι τὰς πόλεις, quum de ambitione et rixis duarum illarum urbium satis constet. Quumque notum sit, Diodori diligentiam saepe non nimiam fuisse, talem nominum confusionem omnino non mirabimur. Necesse igitur est planitiem illam eo tempore, de quo nunc agimus (a. 409) propriam fuisse aut Selinuntiorum aut Egestanorum. Prius ut statuamus, ea re commovemur, quod in orientali planitiei parte Selinuntii φρούριον possident, quo eam defendant; accedit quod, quamvis a. 410 ab Egestanis victi, in illa regione copias speculatorias collocatas habent. Quodsi planities Egestanorum propria fuisset, Selinuntii victi et inferiores id certe ausi non essent. — De ipsius planitiei fertilitate cf. v. Kloeden, Handbuch der Erdkunde II, pag. 220.

[4]) Diod. XII, 82.

[5]) Tritici egregii inprimis magnam copiam terra procreatam esse tradunt Theophr. de c. pl. III, 21, 2 et Plin. n. h. 18, 7, 12.

[6]) Is numerus colligi potest ex iis, quae Diodorus (XIII, 57. 58) de urbis expugnatione memoriae prodidit; de ruderum magnitudine cf. D'Orvillium (Sicula I, pag. 64 sq.) et Niebuhrium (Vorträge über alte Gesch. III, p. 206), quorum uterque urbis ruinas vidit.

[7]) Thuc. VI, 20.

Accedit quod fiducia, quam ipsorum vires et opes civibus praebebant, etiam augebatur societate facta cum civitate Graecorum in Sicilia validissima, a qua bello exorto se adjutum iri certo sperare poterant. Maxime vero Selinuntii ipsorum Carthaginiensium praecipueque domus regiae amicitiae confidebant. In magno enim bello a Gelone et Hamilcare gesto uni ex omnibus Graecis, gentium propinquitate neglecta, a partibus Carthaginiensium steterant[1]). Dein Gisgon, Hannibalis imperatoris pater, exul benigno hospitio receptus usque ad mortem ibi vixerat[2]). Praeterea continuo commercio et mercaturae communibus commodis utrobique tot societates et amicitiae alternae certe ortae erant, ut Selinuntii vix crederent, Carthaginienses ultro sibi bellum illaturos. Quamobrem inde a clade superiore anno ab auxiliis Egestanorum sibi illata nihil omnino caverant, nisi quod Syracusanos de auxilio Egestanis a Carthaginiensibus lato certiores fecerant et ipsi quoque auxilia petierant. Quin eo incuriae progressi erant, ut ne moenia quidem urbis, quae longo pacis tempore multa damna acceperant, restituerent[3]). Eo majore terrore et angore percussi sunt, quum per equitum turmam, quae forte ad Lilybaeum versabatur, ingentem hostium classem advehi nuntiaretur. Statim ut anno superiore Syracusas legatos miserunt, qui denuo atque enixius auxilium rogarent. Neque vero Hannibali in mente erat iis virium colligendarum tempus et occasionem dare: vix exspectato Egestanorum aliorumque quorundam sociorum adventu statim castra movit. Ad Mazarum flumen Selinuntii primum restiterunt. Fuit ibi forum munitum[4]), quo occupato hostes fluminis trajectione prohibere conati sunt; sed primo impetu, quum flumen aestate siccum facile transiri possit[5]), loco eo, quod erat ultimum ante moenia Selinuntis praesidium, expugnato nihil jam oberat, quin Hannibal longius progressus ipsam urbem oppugnaret[6]). Cognita exercitus hostilis magnitudine Selinuntiorum sollicitudo magnopere crevit et in urbe ipsa discordiae ortae sunt, quum magna civium pars Carthaginiensibus faveret et suaderet, ut inimicitiis rixaque compositis illi pacem rogarentur. Dolo tantum ac vi una

---

[1]) Diod. XI, 21. XIII, 55.
[2]) Diod. XIII, 43.
[3]) Diod. XIII, 55.
[4]) Diod. XIII, 54. Nomen ejus non certo constat, sed fluminis nomini simillimum ac paene idem est, cf. D'Orv. l. l. et Wess. annot. ad h. l. Munitum fuisse illud forum (ἐμπόριον), consentaneum est ex Stephani appellatione φρούριον.
[5]) D'Orv. l. l. I, p. 60.
[6]) Diod. l. l.

adhibitis viris quibusdam patriae amantibus sed ceteroquin alienis ab anxia legum cura et religione contigit, ut deditionem urbis impedirent. Thero enim quidam cum trecentis servis armatis ad cives proelio occisos, qui funere etiamnum carebant, sepeliendos se profecturum pollicitus est. Quum vero ex omnibus urbis servis eos qui sibi maxime idonei viderentur, elegisset et ante portas in silvam secum abduxisset, ibi iis persuasit, ut noctu in urbem regressi partem civium interficerent ipsumque tyrannum Selinuntis constituerent. Servis non recusantibus Thero post caedem nocturnam effecit, ut tyrannidem assequeretur. Ut vero fortasse rebus novis studuerit et prava tyranni mente commotus suum tantum commodum spectarit, certe tamen severo atque uno imperio se urbem a barbaris defensurum speravit, donec Agrigento, Gela, Syracusis, quo denuo nuntii equites missi erant, auxilia venirent[1]. Sed spes salutis in dies comminuta est. Jam enim

[1]) Hoc loco a Diodori narratione (XIII, 54) dissensus sum et nuntium aliquem Polyaeni (I, 28, 2) singularem et e rerum continuitate ereptum, qui alibi nusquam locum habet, huc referendum duxi. Diodorus enim XIII, 59 breviter, sed significanter de Empedione Selinuntio narrat: »ἀεὶ μὲν γὰρ ἦν τὰ Καρχηδονίων πεφρονηκὼς καὶ πρὸ τῆς πολιορκίας τοῖς πολίταις συμπεφωνηκὼς μὴ πολεμεῖν Καρχηδονίους.« Reiskius, quem vox συμπεφωνηκώς offendit, conjecturam συμβεβουλευκώς proposuit, fortasse quia Diodorus priori loco non commemoraverat, Empedionem ante obsidionem idem sensisse atque cives aut conjurationem fecisse, ne contra Carthaginienses pugnaretur. Si vero lectionem traditam sequimur, statuendum nobis est, brevi ante obsidionem (quia opponitur illud ἀεί) magnam partem aut factionem singularem Empedione duce bellum noluisse. Ita vero Diodorus sibi ipse quodammodo contradicit. Deducimur igitur in quaestionem, utrum id quod c. 59 traditur, accidere potuerit annon. Procul dubio prius affirmandum est. Nam etiamsi non respicimus multorum Selinuntiorum cum civibus Carthaginiensibus conjunctiones artas atque adeo familiares: per totam antiquitatem usitatum erat, hostem obsidentem primum cum factione aliqua in urbe ipsa societatem inire conari (cujus rei exempla v. apud Köchl. et Rüst., Geschichte des griech. Kriegswesens p. 198). Inprimis vero hoc factum reperimus in Sicilia (sic tempore Atheniensium expeditionis atque in bellis quae Dionysius a. 403—399 contra Siculos et oppida Chalcidica gessit; idemque iis significari videtur, quae Diodorus de rebus a Carthaginiensibus a. 406 et 405 gestis narrat), ubi discordiae et seditiones in urbe, quum hostis ante portas erat, propter civitatis internam corruptionem erant usitatissimae. Itaque dubium non est, quin res a Diodoro c. 59 significata, conjurationem dico, potuerit fieri, atque adeo eam factam re vera esse probabile est, praesertim si meminerimus, quam benigne et amice Hannibal urbe expugnata cum Empedione egerit. Accuratiora vero de tota ea re a Diodoro tradita non esse, non mirabimur memores notae ejus neglegentiae et incuriae; fortasse in uno ex ejus fontibus, quo tunc utebatur, nihil de ea re scriptum erat, quum in alio breviter commemorata esset. Ad omnes

primo impetu Poenis contigit, ut uno loco murum pertunderent, ubi continuo mercenarii Campani irruerunt[1]). Et hos quidem civium desperatio repulit, quae novem dies acriter restitit: sed quum denique ne moenia quidem, machinis etiam aliis compluribus locis deleta, defendi jam possent, vespere noni diei in viis urbis exarsit pugna, quae tandem recentibus copiis, quas Hannibal fessis semper substituere poterat, decreta est[2]). Tum vero Poeni Poena crudelitate saevire nullo aetatis, nullo sexus discrimine: ne templa quidem praebere refugium; elicere enim miseros, ne desperatione commoti cum immensis opibus et divitiis illa concremarent, electos vero crudeliter interficere[3]). Parva tantum civium pars, duo milia hominum et sexcenti, Agrigentum se servavit[4]); sedecim milia mortuorum pavimenta tegebant; ultimi urbis defensores in foro pugnantes trucidati sunt. Quicunque non in viis necati erant, domibus, quas praeda exacta barbari aut comburebant aut diruebant, ii obruebantur; tanta erat barbarorum saevitia, ut non amplius quinque milia captivorum ex tanto incolarum numero omnino conducerentur[5]). Utque saevitia plena esset, Hannibal etiam moenia deleri templaque magnifica, quibus unis omnes fere hostes parcere solebant, dirui jussit[6]).

Quamquam igitur Syracusani, belli gloria et viribus invictis elati, Poenorum legatis, velle se Selinuntiorum societatem etiam armis servare, responderant, tamen hi nimia fiducia freti et superbiores, perierant. Diocles enim, qui rem publicam

---

has considerationes accedit Polyaeni locus supra allatus, quem ad rectum tempus historiae urbis Selinuntis referre difficile est, quum tempus certum non traditum sit. Quodsi illud Niebuhrii: »Polyaen ist ein Schriftsteller, welcher einen Schatz von Nachrichten, die nur auf Anordnung warten, erhalten hat« (Polyaen. ed. Woelfflin. praef. p. 1), ullo ejus auctoris loco comprobatur, is est noster locus; itaque non dubito Plasii (Tyrannis II, p. 201 cf. n. 3) de eo opinionem sequi, quum ea Diodori narrationi non repugnet. Ante obsidionem enim proelium commissum esse victosque eo Selinuntios concione deliberasse, quid faciendum esset, hoc et e Diodoro et e Polyaeno elucet; quod vero Thero ausus est trecentis tantum servis iisque modo electis tantam urbem, quanta Selinus erat, occupare, ea re sine dubio comprobatur, eum magnam ipsius civitatis partem incepto suo faventem scivisse. Hoc modo scriptoris utriusque neglegentis nuntios puto apte et commode concinnari posse.

[1]) Diod. XIII, 55.

[2]) Diod. XIII, 56.

[3]) Diod. XIII, 57.

[4]) Diod. XIII, 58.

[5]) Diod. XIII, 57.

[6]) Diod. XIII, 59. Cf. Niebuhrii verba l. l. III, p. 207: »Man sagt wohl, dass die Tempel durch ein Erdbeben vernichtet worden seien, allein die Ruinen zeigen, dass die festen Säulen untergraben und mit Mauerbrechern umgestürzt worden sind.«

Syracusanam administrabat, bello cum Chalcidicis urbibus, quarum in fines illo ipso tempore incursum erat, propter crebros Selinuntiorum nuntios tum demum composito copias quidem ex illis regionibus reduxerat et classem quoque ab Asiae oris revocarat; sed idem, quamvis de Poenorum apparatibus haud dubie certior factus, amplius bellum non paraverat, quum tantam celeritatem atque industriam in hoste non exspectaret ac Selinuntem diutius defensum iri putaret. Reliquae autem Graecorum urbes artiore vinculo inter se non conjunctae intellegebant, se, quamvis copiarum non indigerent, tamen singulas majorem aliquem exercitum comparare non posse; et priusquam omnes eorum exercitus in unum convenissent, ante quod tempus ne Agrigentini quidem et Gelenses, proximi Selinuntiis, suas privatas copias urbi miserae auxilio mittere audebant, tantum temporis contritum est, — id quod talibus in foederibus minorum civitatum semper fere usque ad nostra tempora fieri solet — ut hostes jam ante iter illius exercitus primam illam magnam victoriam reportassent[1]). Nam eodem demum tempore, quo fugitivi Selinuntii, Syracusanorum non plus tria milia Agrigentum pervenerunt, qui quidem se magno exercitui praemissos esse praedicabant. Et facile intellegitur, cur sero advenerint. Quum enim inter Selinuntem et Syracusas spatium triginta trium ferme milium intercederet, pugnae ad Mazarum commissae nuntius non ante diem tertium Syracusas usque deferri potuit. Ac pone eo die delatum esse: tum necesse erat de auxilio mittendo decernere exercitumque ad iter parare, cui rei, quum copiae e vicis circumjacentibus arcessendae essent nec facile haec omnia uno die possent absolvi, certe duo vel tres dies opus erant. Itaque ante sextum diem exercitus proficisci non potuit; tum vero frustra magnis itineribus properabat, ita ut decimo ferme die Agrigentum veniret, quod est spatium viginti duorum milium. Diocles vero, qui Syracusanis ipse imperabat, ut aliquo tamen modo Selinuntios adjuvaret, legatos ad Hannibalem misit rogaturos, ut captivi pretio redimerentur templisque parceretur. Quod Hannibal cum fastu quodam recusavit; demum quum Empedio ille, qui Carthaginiensium rebus in urbe semper faverat, legatus a fugitivis missus esset, his quidem, ut Selinuntem redirent, permissum est, ita tamen, ut certum tributum Carthaginiensibus ab iis esset solvendum[2]).

---

[1]) Diod. XIII, 56. Classem una domum reverti jussam esse ex c. 61 apparet.
[2]) Diod. XIII, 59.

Hannibal postquam Selinuntiis devictis patriae sociorumque rebus prospexit, ad secundam expeditionem causis privatis commotus properavit: avum enim ad Himeram caesum apud se constituit ulcisci et una familiae suae pristinam auctoritatem et gloriam restituere. Quum igitur paucis diebus exercitui ad requiescendum datis cum Selinuntiis, qui Agrigenti versabantur, omnia obiter composuisset et belli finem jam facere videretur, subito castra movet et per mediam insulam Himeram maturat proficisci et in via viginti milia Sicanorum et Siculorum auxilia nactus statim eam obsideri et oppugnari jubet. Quae quidem urbs, in littore maris Tyrrheni[1]) ad sinistram septentrionalis Himerae fluvii ripam aedificata[2]), quamvis agrorum fertilitate campos Selinusios fortasse non aequaret, tamen Siciliae urbibus inprimis claris et ornatis adnumeranda erat[3]). Neque vero munitione et magnitudine nec civium numero inferior erat[4]); animo autem forti et concordia ceteros Graecos et vel maxime Selinuntios tunc certe cives superabant, ita ut barbarorum vim a sociis satis adjuti infringere posse viderentur[5]). Hannibal vero copiis in duas partes divisis octoginta milibus militum urbem ipsam machinis adortus est, postquam alter quadraginta milium exercitus paullo remotior colles a meridionali urbis parte sitos obtinuit[6]). Timebat enim dux, ne Graeci ad liberandos Himerenses Agrigento advolarent et a tergo se aggrederentur. Sed Diocles, de Hannibalis expeditione jam certior factus, magnis itineribus cum quattuor milibus Syracusanorum et sociorum Himeram contendit et omni illius cura ac diligentia elusa in urbem pervenit, qua re Himeraeorum jam periclitantium animi adeo incensi sunt, ut cum sociis eruptionem facere decernerent[7]). Atque quum decem

---

[1]) Diod. XI, 20. XIII, 61. 62.

[2]) Diod. XI, 20. Cf. Cluver. l. l. p. 160.

[3]) Cic. in Verr. act. II. l. 2. c. 35. § 86.

[4]) Civium Himeraeorum, qui stipendia merebant, numerus illo tempore certe plus septem milia censendus est. Eruptione enim facta tria milia interficiuntur (Diod. XIII, 60), tum urbe expugnata totidem capti trucidantur (XIII, 62), mille denique Himeraei Hermocratis copiis postea sese adjungunt (XIII, 63). Quibus omnibus si eos, qui et prioribus proeliis (XIII, 59) et postremo ab Iberis in urbem irruentibus (XIII, 62) caesi sunt, et illos quoque adnumeramus, qui cum Diocle fugerunt (XIII, 61), Himeram concludi licet civium non minus decem milibus, incolarum vero quadraginta fere milibus tunc floruisse.

[5]) Mirum et memoratu dignum est, Himeram tunc solam omnium Graecorum fuisse rem publicam, cujus cives, partim ex Jonum, partim ex Doriensium stirpe exorti, pace interna et concordia uterentur.

[6]) De magnitudine utriusque exercitus vide p. 46 n. 1.

[7]) Diod. XIII, 59. Quum provideri haec expeditio omnino non posset, verisimile est, Dioclem, id quod cum Diodori narratione bene convenit, ad

milia Graecorum subito ac plane insperato vehementem impetum facerent, Hannibalis exercitus adeo perturbatus et fugatus est, ut ad restituendum proelium illi, qui in collibus positi erant, essent advocandi. Jamque sex Carthaginiensium milia occisi erant[1]), quum reliquis barbaris numero longe superiori-

---

Himeram pervenisse post Hannibalem. Quum vero Carthaginienses simili modo collocati essent, velut a. 480, mirum esse non potest, quod Diocles dolo quodam adhibito vel ab oriente flumen transgressus vel certe a mari tandem ipsam in urbem pervenire poterat.

[1]) Diod. XIII, 60. Etiam hoc loco Timaei numeros propius ad veritatem accedere censeo; Ephorus enim, ex more numeros a Philisto traditos secutus vel viginti milia occidisse falso narraverat. Consentit mecum Wessel. in annot. ad h. l., addens illa Senecae (nat. quaest. VII, 16) verba: »Ephorus vero non est religiosissimae fidei; saepe decipitur, saepe decipit.« Ne tamen quidquam in incerto relinquatur, utrum hac in re decipiat ipse annon, videndum erit. Inventus enim est, qui majores illos numeros non a Philisto, ut equidem censeo, sed ab Ephoro fictos esse putaret, C. Muellerus in fragm. hist. Gr. I. praef. pag. 64. Quamobrem sententiam meam certis testimoniis firmatum breviter demonstrabo. Atque primum quidem plerumque Ephorum tantum et Timaeum, qui discrepantes numeros tradiderint, a Diodoro nominari fatendum est; sed aliis quibusdam ex locis plura colligere licet. Sic dicitur l. XIV, 62: »τὸ πεζὸν στρατόπεδον . . . . ἀντιπαρῆγε, συνεστηκὸς, ὡς μέν τινες ἀνέγραψαν, ἐκ τριάκοντα μυριάδων πεζῶν, ἱππέων δὲ τρισχιλίων.« Scriptores autem, qui de his numeris conveniebant, Ephorus et Timaeus non sunt; jam supra enim (Diod. XIV, 54) hic exercitum cum sociis CXXX milibus hominum censuerat constitisse, atque eo quidem loco diserte se opponens Ephoro. Idem consequitur e Diod. XIII, 109: »εἶχε δε (Διονύσιος) τοὺς ἅπαντας, ὡς μέν τινες, πενταχισμυρίους, ὡς δὲ Τίμαιος ἀνέγραψε, πεζοὺς μὲν τρισμυρίους κτλ. Quum igitur Diodorum in hac historiae Siculae parte inprimis Philisti, Ephori, Timaei operibus usum esse sit comprobatum, Timaeus vero locis modo allatis semper minorem numerum praebuerit, fieri non potest, quin ii scriptores, quorum numeri congruebant, fuerint Philistus et Ephorus. Quodsi magni illi numeri apud utrumque inveniebantur, necesse est Ephorum, ut qui posterior scripserit, eos e Philisto desumpsisse, neque vero hunc ex illo. Accedit, quod nimii exercituum numeri, quamvis Ephorus eorum auctor dicatur, ea tantum in parte historiae Siculae inveniuntur, quam Philistus tum accuratius et copiosius, tum primus concinnavit; quae sunt res in Diodori lib. XIII et XIV concise enarratae. Omnibus enim sequentibus in bellis Graecorum et barbarorum, quae inde usque ad Timoleontis tempora gesta sunt, Diodorus semper unam tantum exercituum aestimationem eamque multo minorem tradidit; atque etiamsi nescimus, Ephorumne an Timaeum in ea re secutus sit (nam etiam tum Ephorum in fontibus ejus fuisse compluries comprobari potest): tamen, quum ibi uterque consentiat, ubi Philistus non jam auctor erat, proclivum sane est concludere, etiam superiores copiarum numeros Ephorum non suo arbitrio nimis adauxisse, sed a Philisto traditos, judicio nullo adhibito, in opus suum transtulisse. Quod vero Diodorus in libris XIII et XIV semper Ephorum nominavit, quasi is unus majorum numerorum auctor esset, ego

bus contigit, ut copias Graecorum nimium dispersas perturbarent et in urbem repellerent et Himeraeorum, qui a ceteris segregati acerrime resistebant, tria milia trucidarent[1]). Quae quidem Graecis male evenisse, mirum non est: eorum enim manus e variis singularum civitatum cohortibus composita imperantibus ducibus multis consilium pugnae apte exsequi non poterat.

Paullo post vero accidit, ut classis Syracusanorum ante Himeram adveniret[2]); quumque praeterea fama esset allata, magnum Syracusanorum aliorumque sociorum exercitum mox profecturum esse, damnum illud superiore proelio acceptum facile recuperari posse videbatur. Sed simul, nescio quod modo ortus[3]), rumor per urbem divolgatus est, velle Hannibalem navibus longis, quae ad Motyen erant, militibus impletis, Syracusas vehi et urbem defensoribus orbam expugnare. Cui rumori, qui fortasse[4]) non carebat causa, fidem habens Diocles, quem apparet eruptione facta animum demisisse[5]), facere non potuit, quin urbem relinquendam constitueret. Nihil effecerunt Himeraeorum preces: illud unum impetrarunt, ut naves Syracusanorum longae ad feminas et pueros ex urbe transportandos adhiberentur. Ipse Diocles, donec incolae urbem desererent, non exspectavit, sed relictis Syracusanis, qui in proelio ante

---

quidem non miror. Quum enim omnes res gestas breviter tantum componere vellet (cf. I, 3), pro consuetudine sua brevioribus et commodioribus Ephori libris, quam ipsius Philisti opere fusiore maluit uti.

[1]) Diod. XIII, 60.

[2]) Diod. XIII, 61 has viginti quinque naves huc advenisse tradidit ab Asia minore revocatas; sed pro certo id habere, non sine causa cum Aem. Muellero l. l. p. 46 dubitabimus.

[3]) Diod. XIII, 61. Classem Syracusanorum longiore via circa meridionalem insulae oram navigantem et sinum Motyensem praetervectam inde nuntium attulisse, quod Grotius l. l. V, pag. 637 statuit, mihi vel propterea verisimile non videtur, quod Syracusanorum navibus tam paucis prae hostilium numero illud iter certe nimis periculosum erat; itaque classem eadem, qua postea rediit via, per fretum Siculum, advenisse censuerim.

[4]) Utrum talem expeditionem in mente agitaverit, annon, dubium potest videri pro cautione, qua Hannibal in agendo semper utebatur. Eandem anxiam curam etiam anno 406 ab Hannibale et Himilcone adhibitam videmus (Diod. XIII, 85), eamque in ipso mari, cujus Graeci tunc erant domini (Diod. XIII, 88).

[5]) Nieburii sententiam (l. l. III, p. 207) »dass der Samen der Verfeindung und Verbitterung in der Stadtbesatzung so gross war, dass die Dorier die Stadt räumten und die Chalcidier nicht unterstützt wurden,« ut probem, impetrare a me non possum. Nam Syracusani re vera eruptionis participes fuerunt (Diod. XIII, 75) et partem manus suae amiserunt; contra si tantum inter civitatem et gentem utramque fuisset odium, Diocles cum manu sua, quae nescio an e solis Doriensibus constiterit, omnino non venissent urbem servaturus.

urbem caesi erant, in classis praesidio secundum oram maritimam ad orientem discessit[1]). Quum deinde Hannibal urbem denuo aggrederetur, cives in moenibus acerrime restiterunt, ut feminae ac pueri, qui primum navibus auferri non potuerant, usque ad classis reditum a barbaris defenderentur; postero autem die parte moenium deleta Iberorum densae turmae irruperunt, eodem tempore quo naves Syracusanae ad relictos auferendos redierunt. Quum vero hostium numerus in urbe magis magisque cresceret atque illos, quominus naves ascenderent, prohiberet, sine misericordia a barbaris, ut Selinunte, magna caedes est facta, donec Hannibal eos, qui superessent, capi urbemque dirimi juberet. Capti pueri et feminae exercitui praeda distributi sunt; viros autem captos, quorum erant circiter tria milia, Hannibal ad avi mortem expiandam vel ulciscendam eodem loco quo ille obierat, jussit trucidari. Ipsa urbs cum templis, postquam per ducentos quadraginta annos stetit, Junio fere mense plane diruta est neque unquam denuo aedificata[2]).

Postquam ita secundam victoriam splendidissimam reportavit, etsi qui ejus progressus impediret, cogitari non poterat, Hannibal subito constitit. Sed noli putare, mancam ejus intellegentiam vel nimis comminutum exercitum fuisse causam, qua quominus victoriis uteretur, prohibebatur: fuit sola causa voluntas senatus. Vix enim crediderim plus ei mandatum fuisse, quam ut Selinuntios castigaret; quum igitur jam adversus Himeram suo arbitrio profectus esset, ut suo privato ultionis desiderio satisfaceret[3]), ne totam suam gloriam, quoniam Graecorum fortitudinem singulis proeliis satis cognoverat, nova et graviore pugna temere in periculum et discrimen vocaret: domum constituit redire, parte exercitus, quae sociis, si forte offenderentur, praesidio esset, relicta. Quem cives laetabundi egregiis honoribus receperunt, utpote qui primus intra breve spatium trium mensium[4]) de adversariis, quos tam diu timuerant, tot tantasque victorias reportasset.

---

[1]) Diod. XIII, 61.

[2]) Diod. XIII, 62. cf. etiam Cic. in Verr. act. II. l. 2. c. 35. § 86; de tempore infra n. 4. et p. 44. n. 2.

[3]) Diod. XIII. 59.

[4]) Diodorus (XIII, 62) nihil narrat, nisi Carthaginienses ovantes Hannibalem salutasse »ὡς ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ μείζονα πράξαντα τῶν πρότερον στρατηγῶν;« accuratiora inveniuntur in Xenoph. Hellen. I, 1, 37: quae si vera sunt — de annorum tantum computatione et ordine interpolatorem errasse contendimus — Hannibalem elucet jam mense Junio anni 409, i. e. Glaucippo etiam archonte, Himeram diruisse et domum rediisse.

Jam vero cupido imperii novis bellis provehendi necesse erat in populo toto excitaretur[1]; factio bellica autem et regia domus omnem suam auctoritatem pristinam subito recuperaverant. Syracusani contra quum in ipsa Sicilia inter utramque gentem ambitiosam pacem, qua egregia illa cultura et salus et potentia urbium Graecarum ortae erant, servare non potuissent nec magno exercitu strenue jam hieme superiore conducto barbarorum vim a colonis Graecis defendere conati essent, non modo apud gentiles magna auctoritatis suae parte privati sunt, sed ipsi quoque de potentia sua et de ducum suorum intellegentia, quibus usque ad id tempus indubitatam fidem habuerant, dubitare coeperunt. Itaque novae seditiones et mutationes internae secutae et sociis Poenorum temere lacessitis nova bella graviora exorta sunt; quae quidem omnia certe non accidissent, nisi bello Atheniensi Syracusanorum vires et opes nimis comminutae essent, et simul rei publicae forma perniciose mutata.

Nuntio cladium Sicularum post classem Syracusanam revocatam etiam per Asiam minorem grassato fieri non potuit, quin in Hermocrate spes restitutionis in patriam excitaretur. Nam victoriis a Poenis tam brevi tempore reportatis et crudeli florentium duarum urbium eversione, quale excidium inde a Mileto deleta non factum erat[2], persuasum ei est et de mutatione, qua Carthaginiensium animi, nunc imperii provehendi cupidi, affecti erant, et de eorum, qui rem publicam Syracusanorum administrabant, manca rerum peritia et industria. His autem temporibus non solum duce forti et prudenti ad defendendos hostes potentes opus esse intellegebat, sed etiam viro reipublicae tractandae peritissimo, qui Siculis omnibus, suis tantum privatis commodis consulentibus, quam necessarium esset unitis viribus agere, persuadere posset. Talem vero jam antea ipse se praestiterat, ac tunc quoque temporibus se parem esse arbitratus reditum parare constituit, ut, si vocassent cives, quod secundum amicorum Antandri versantium promissa certo se exspectare posse putabat, continuo posset iis obsequi. Si vero non vocarent, tamen ipse pro viribus suis civium perturbatorum saluti consulere et barbaros vexare voluit[3]. Sperabat enim, si, quamvis exul, tamen belli particeps fuisset, amicorum domesticorum opera, quorum numerus classe revecta creverat, atque omnium civium comprobatione tandem

---

[1]) Cf. Diod. XIII, 79. 80.

[2]) Quod Grotius l. l. V, p. 640 recte nos commonuit.

[3]) Elucet hoc e rebus gestis Hermocratis, quas Diodorus (XIII, 63 et 75) narrat.

effectum iri, ut domum redire posset et in omnes honores restitueretur. Milites autem simul ea mente conducere voluit, ut, si forte haec spes non rata esset, expellendi Dioclis, quem ad res gerendas parum arbitrabatur idoneum, sibique reditus comparandi consilium vi quoque posset exsequi[1]). Pharnabazus vero quocum consilium communicarat, pecuniam ad milites conducendos nonnullasque naves longas aedificandas necessariam se praebiturum promisit[2]). Qui quamvis sincero animo hoc pollicitus esset, tamen illo tempore Hermocratem non nimis adjuvare poterat, quum ipsi et pecunia et navibus vel maxime opus esset adversus Alcibiadem. Is enim post pugnam Cyzicenam Bosporo, qui maximi momenti erat, iterum potitus, postquam Thrasylli copiae ad suas accesserunt, Pharnabazum ad Abydum fugaverat et Bospori Pontique Euxini imperium Chalcedone a. 409 expugnata confirmaverat; quin adeo usque Pharnabazum urserat, ut is viginti talenta se soluturum pacemque inter regem et Athenienses conciliaturum promitteret[3]). Quibus de causis Hermocrates, fortasse ab ipso Pharnabazo commotus atque opportunam nactus occasionem, una cum legatis, quos et Athenienses et Spartani Pharnabazo prosequente Susa missuri erant, proficisci decrevit, Dareo altero persuasurus, ut suis consiliis faveret[4]), quippe quae ut perficerentur, etiam regis videretur interesse. Hujus enim, qui constantior quam satrapae more majorum id semper spectabat, ut Atheniensium opes frangeret, multum interesse necesse erat, ut sua parva classis rursus navibus Siculis augeretur, quae bello Carthaginiensium revocatae erant, praesertim quum sollers ille Alcibiades tunc hostium exercitui praeesset. Quod si Hermocrates ab amico Pharnabazo, qui, quantum ille valeret, haud ignorabat, adjutus redeundi in patriam et civium, qui ipsi infensi erant, et Carthaginiensium impugnandorum facultatem nactus esset, tum jure sperari posse videbatur, fore, ut domestica ejus auctoritate restituta nova Syracusanorum classis adversus Athenienses pararetur[5]). At enim vero haud ita longo

---

[1]) Hoc jam tum ejus consilium fuisse elucet ex Diod. (XIII, 75) verbis: ὁ μὲν οὖν Ἑρμοκράτης τότε τὸν καιρὸν οὐχ ὁρῶν εὔθετον εἰς τὸ βιάσασθαι κτλ. Cf. Xen. Hell. I, 1, 31. Quin vero hoc, exhaustis ceteris remediis, ipso patriae amore ductus bonisque cum civibus pactus studuerit perficere, dubium esse non potest.

[2]) Xen. Hellen. I, 1, 31. Diod. XIII, 63.

[3]) Xen. l. l. I, 2, 15—16. 3, 1—12.

[4]) Xen. l. l. I, 3, 13.

[5]) Idem de ea re Curtius (hist. Gr. II, pag. 634) videtur sentire; Grotius (l. l. V, p. 644 n. 86) et Büchsenschützius (ad Xen. Hell. I, 3, 13) de itinere omnino dubitant. Cf. annot. sq.

temporis spatio interjecto, quam vana omnis haec fuisset spes, apparuit. Pharnabazo enim et legatis, qui Gordii, in urbe Phrygica, hiemarant, ineunte vere a. 408 pergentibus[1]) Cyrus

[1]) Xen. Hell. I, 3, 13. 4, 1 sq. Ut, quo tempore Hermocrates Gordii fuerit et quando in Siciliam redierit, indagemus, primum vel a Piraei expugnatione — quae res quando acciderit constat — vel ab eo lunae defectu regrediendum est, qui significatur a Xenophonte in Hell. I, 6, 1. Fuit vero ille defectus secundum Zechium et Heisium (cf. Herbstii libellum »Die Schlacht bei den Arginusen,« qui prodiit Hammoniae a. 1855) vespero diei XV. mensis Aprilis a. 406. Quodsi ab hoc certo anno Herbstio duce regredimur, in Xenophontis libro I, 4, 1 statuendum est initium a. 408, quo Hermocrates cum Pharnabazo et legatis Susa profectus esse et Cyrus in Asiam minorem descendisse traduntur. Id vero hoc anno 408 factum esse, omnes fere viri doctissimi — paucis quos nominavi p. 13 n. exceptis — quamvis alii alia ratione nobis comprobaverunt; ac Diodorus quoque, Cyrum in Asiam minorem pervenisse, inter res a. 408 gestas narrat (XIII, 68. 70.). Quae quum ita sint, Hermocrates propter illud iter susceptum ineunte demum aestate a. 408 quin in Siciliam redierit, dubitari minime potest nisi forte praeter illa verba »ἤδη φεύγων ἐκ Συρακουσῶν,« quae ab interprete — ni fallor cum Breitenbachio, Aem. Muellero, Büchsenschützio — interpolata sunt, etiam cetera »καὶ Ἑρμοκράτης« κτλ. (Hell. I, 3, 13) spuria habere ac totum iter negare vis. Secundum Dodwellii vero et ceterorum, qui eum secuti sunt, temporum distributionem Hermocratis reditus tribuendus est vel anno 407. Attamen utrique obstare videtur computationi, quod Diodorus (XIII, 54. 63.) Diocle archonte, qui aestate a. 409 ad magistratum accessit, eum prodidit revertisse. Atque id quidem Grotium et Büchsenschützium (cf. p. 57 n. 5) ita offendit, ut clarum nunc Hermocratem cum Pharnabazo Susa profectum esse negarent, et Grotius de alio quopiam cogitaret, praesertim quum Hermocratem quendam etiam pugnae ad Aegos flumen commissae interfuisse Polybius XII, 25 retulisset: quem locum Aem. Muellerus l. l. p. 50. n. 6. recte explicasse mihi videtur. Sed idem, ut discrimen alterum, ex Diodori narratione procreatum, tolleret, l. l. p. 51 cum Schneidero Hermocratem, primo redeundi conatu a. 409 irrito facto, in Graeciam vere proximo revertisse et exeunte aestate 408 ad Pharnabazum profectum esse contendit, ut hujus et fortasse regis Persarum auxilio novos apparatus faceret; deinde novis copiis vel a Cyro vel a Pharnabazo adjutum in Siciliam rursus abiisse et ante ver 406, fortasse auctumno 407 cecidisse. Neque a Xenophonte illa omissa esse, sed ex libris ejus excidisse (?) denique Muellerus suspicatur, Diodorum vero (cf. p. 50 extr.) res illas non prorsus recte tradidisse. En methodum levem! Certum et copiosum scriptoris testimonium, quod sibi constat, refutatur, ut ea, quae ab altero scriptore fortasse tradita aliquis credat, nobis comprobentur. Quae medendi ratio non levis solum est, sed ita falsa, ut prorsus condemnetur, ad denuo in rem sit inquirendum. Diocle igitur archonte quum Hermocratem in Siciliam rediisse Diodorus auctor esset, haec res anno 409 attribuenda videtur esse. Plerumque enim omnia, quae a Diodoro tali anno Attico accidisse narrantur, gesta sunt eo naturali anno, quo archon magistratum iniit. Attamen non semper id ita se habere, immo interdum illas res ad eum annum naturalem referendas esse, quo deposuit archon ille magistratum, certis exemplis demonstrari potest; neque ulla re prohibemur,

obviam factus est, Susis ille quidem profectus, ut omnis orae maritimae imperium subiret. Cui quum a patre certe ac distincte mandatum esset, ut Lacedaemonios juvaret, illi non longius progrediebantur[1]): Atheniensium legati prehensi sunt et tres annos retenti, ut de iis celarentur hostes, quae in Asia gererentur.

Hermocrates autem quum ampla consilia sua irrita intellegeret neque ulla re diutius in Asia retineretur, ineunte aestate

---

quominus id ad Hermocratis reditum quadrare statuamus et eum priore anni 408 dimidio demum rediisse censeamus. Huc adde, quod gravissimae hujus rei exstant causae quum e Diodori narrandi ratione, tum ex ipso rerum connexu sumptae. Primum enim apparet ea, quae Diodorus (XIII, 63 et 75) de Hermocratis extremis post reditum fatis narrat, ita constituta esse, quasi ex arbitrio diremta et sejuncta essent. Deinde vero quum alibi scriptor, ubi intra spatium unius anni a rebus orientis transit ad occidentis res vel ab occidente ad orientem, semper utatur certis quibusdam formulis ac locutionibus, ut τούτων δὲ πραττομένων seu πραχθέντων, ἅμα δὲ τούτοις πραττομένοις, τὰ μὲν οὖν περὶ ... ἐν τούτοις ἦν, κατὰ δὲ τὴν Σικελίαν (Ἰταλίαν, Ἑλλάδα) . . . : extemplo c. 75 rapimur sine ullo transitu medias in res. Inveniuntur sane quidem in libris XIII — XVI etiam alii pauci ejusmodi loci; sed ibi certissime aut non magis constat de temporibus, aut ipsius narrationis ordo confusus est. Sed fac Hermocratem jam a. 409 rediisse: restant tamen nonnulla perquam obscura et parum probabilia. Quomodo enim fieri potuit, ut tam prospere Hermocrati succederet, quamvis Hannibal a. 409 iis, qui Carthaginiensibus dediti erant, praesidium in Sicilia reliquisset (Diod. XIII, 62)? cur hujus manus in Hermocratis pugnarum enarratione nusquam fit mentio? cur Carthaginienses nihil opponunt tanto aemulo, quem nequaquam neglegere debebant, aut cur, praesertim quum tunc temporis factio bellica jam superior esset, per duos vel tres annos cunctabantur, priusquam aliquatenus operam darent, ut socios tuerentur, conservarent suas ipsorum in Sicilia possessiones? Prorsus sana mente caruisset Carthaginiensium senatus, si Hermocrates jam a. 409 in Siciliam reversus impune per duos annos socios vexasset. Jam vides Diodorum more suo hic leviter res enarrasse; judicio enim non adhibito fontem, ni fallimur, ad annalium formam non redactum secutus omnes deinceps res in Sicilia gestas a prima Carthaginiensium expeditione tradidit, donec ad Hermocratis exitum pervenit. Hujus vero necem, ut rem sane gravissimam et memoria dignissimam, quum denique anno insequenti (408) tam certe ac distincte attributum invenisset — in publicum enim tunc primum prodiit etiam Dionysius major — ut tempus confundere non posset, facere non potuit, quin narrationem interrumperet et insequenti anno ultimum Hermocratis vitae relinqueret. Quibus rebus omnibus jure opinor comprobari, Hermocratem a. demum 408 in Siciliam rediisse et post brevem expeditionem aestivam et auctumnalem, in qua, quae clare egit, superveniendo plerumque hostibus effecit, hieme 408/7 mortuum esse. Sic etiam bene intellegitur, cur Carthaginienses anno 407 colonia militum deducta (Diod. XIII, 79), quod certe alia de causa factum esse non potest, operam dederint, ut quae a. 409 subegerant, ea aut obtinerent aut denuo expugnarent, et cur eodem denique anno iterum bellum parare coeperint.

[1]) Cf. Xen. Hell. I, 4, 1—4 cum I, 5 3 et Diod. XIII, 70.

cum opibus a Pharnabazo acceptis in Siciliam revertit, ut nihilominus reditum sibi pararet. Quum Messanam venisset, confestim quinque triremibus comparatis coactisque mille mercenariis, quibuscum par numerus Himeraeorum in pristinam patriam receptorum se jungebat, factioni suae, dum ipse haud longe ab agro Syracusano abest, mandavit, ut Syracusanos ad se revocandum moveret. Quum autem ejus adversarii nimis adhuc in urbe valerent et omnia amicorum ejus studia irrita redderent, aggredi autem urbem tantam tantilla manu insani fuisset[1]), alias rebus fortiter gerendis navavit operam, tum ut Syracusanorum in se converteret oculos, tum ut sibi auxilia pararet, quibus, si opus esset, opportuniore tempore vulgi ejusque ducum vim vi refringeret. Atque huic rationi ipse, qui tunc erat rerum status, favebat; quum enim indutiae fortuito tantum, non ex pacto cum Carthaginiensibus agerentur, longis navibus suis ad opprimendas Carthaginiensium onerarias et pedestribus copiis ad omnes in insula Graecos servandos uti poterat nec tamen patriae, si bellum denuo exardescebat, ruptarum indutiarum crimen conciliabat. Primum igitur per mediam insulam Selinuntem profectus est, cujus urbis parte festinanter refecta atque munita undique Selinuntios, qui Carthaginiensium saevitiam effugerant, convocabat nec non rusticos proximos cogebat, ita ut brevi sex milia virorum fortium ac strenuorum colligeret. Tali modo quum vires ejus crevissent, impetus audaces coepit facere in fines Carthaginiensium eorumque sociorum, qui soli[2]) et singuli ei proeliis diu resistere non valebant; quid quod ipsi Motyenses et Panormitae, quum proelio victi essent, moenibus urbium sese tueri cogebantur nec prohibere poterant, quominus agros suos opulentissimos hostes praedarentur? Nec vero copiarum tantum animos tam larga praeda Hermocrates sibi conciliabat, verum Graecorum quoque mentes erigebat fiduciamque virium denuo suscitabat. Fortitudo autem et industria, quas circumventus undique hostibus permultis praebebat, mox ipsum eo majore gloria et honore tota insula ornabant, quo magis a Dioclis neglegentia et inertia differebant. Quibus rebus factum est,

---

[1]) Grotius l. l. V, p. 642 usque ad ipsas urbis portas eum progressum dicit, quod a cauta agendi ratione, qua etiam posteriore tempore Hermocrates utebatur (cf. Diod. XIII, 75), omnino alienum est. Eum tamen secutus Todtius l. l. p. 6 etiam de impetu haud felici cogitat.

[2]) Mercenarii enim, quos a Poenis ad socios in Sicilia tuendos relictos esse Diodorus XIII, 62 testatur, hieme qua hostes quidquam molituros nemo suspicabatur, videntur dimissi esse. Plerumque enim illis temporibus factum videmus, ut mercenarii in certum demum tempus et certum ad finem conducerentur.

ut Syracusanorum quoque, ac praecipue vulgi, cujus oculi mentesque eventus splendore facile praestringuntur, commutarentur animi; fortia ejus facta nemo non noverat, et jam publice de eo revocando erant qui auderent loqui.

Quam animorum conversionem quum non magis ignoraret Hermocrates quam adversariorum, ne revocaretur, crescens studium, splendido bonae mentis specimine edito totius populi animos occupare occupatisque uti constituit[1]). Jam enim per unum annum ad Himeram Syracusanorum occisorum ossa jacebant; quippe quum Sicani hostiles atque Solus Panormusque, quas urbes Poeni domum reversuri auxiliis adjuverant, tam prope abessent, Graeci anno 409 mortuos sepelire non erant ausi. Quare tunc Hermocrates cum copiis suis in illas regiones profectus ossa Syracusanorum, loco ubi cecidissent explorato, plaustris magnificentissime exornatis imponi Syracusasque vehi jussit: ipse vero, quippe exul, plenam patriae legum observantiam jactans, ad fines agri Syracusani substitit. Sperabat enim fore, ut hac cura civibus, quamvis ingratis, impensa et hac erga leges obedientia totius populi favor rursus sibi conciliaretur omnisque timor removeretur, ne quid ipse contra leges esset ausurus, tum vero ut Dioclis, qui officium sanctissimum neglexisset, auctoritas omnino frangeretur. Jam quum plaustra urbi appropinquarent ad ossa civibus tradenda, animi eorum magnopere commoti sunt, praesertim quum Diocles superiorem inimici calliditatem perspiciens ossa accipi et sepeliri vetuisset. Quod vero hic tali modo rem aeque ac virum tractabat[2]), id ei perniciei fuit: cives enim, qui ejus culpa se in calamitatem reliquorumque Graecorum contemptum incidisse putabant, nec jam caeci eum sequebantur, huic quasi tutelae, qua religio ipsorum laedebatur, ad unum omnes se opponentes

---

[1]) Diod. XIII, 63.

[2]) Diod. XIII, 63. Grotius in enarratione harum rerum (V, p. 640 sq.), quia ipse populi imperio utique favet, parum juste cum Hermocrate et cum Diocle egit. Nam quasi se opponens priori sententiae Mitfordii illius — qui, quum esset ex eorum numero, quos Tories Britanni vocant, rebus publicis Graecorum liberis obtrectaverat et conviciatus erat — hic operam dedit, ut, quaecunque populus fecisset, omnia defenderet simulque suspectos eos redderet, qui populi imperio non faverent, etiamsi viderentur tantum ejus inimici esse. Cujus rei ut unum tantum proferam exemplum, ex omnibus et veteribus et recentioribus scriptoribus unum eum atque solum rationem, qua Athenienses post pugnam ad Arginusas commissam contra duces victores consulebant, defendisse solumque hos poena dignos credidisse moneo. Nec aliter h. l. Hermocrates, qui consentiens cum magno numero bonorum civium contra duces illos ad res gerendas non satis idoneos, ut restitueretur, perficere voluit, patriae proditionis crimine accusatur a Grotio. Contra Dioclem justo magis laudibus effert eique honestiores causas imputare videtur.

non solum funus solemne ossium, sed etiam ejus, qui ad id tempus summa auctoritate valuerat, exilium decreverunt[1]). Verum ut Hermocrates revocaretur, quamvis omnes res favere viderentur, tamen factio ejus perficere non potuit: nam vulgo summae imperii et libertati suae, quam jactabat, timenti a concionatoribus per annos id persuasum erat, ut, si Hermocratem restituisset, crederet se dominum recepisse. Diocle autem expulso quum jam non exstaret ullius factionis dux tanti in re publica gerenda momenti, ut reliquas factiones diutius domare posset, omnium rerum perturbatio civiumque fluctuatio in dies augebatur. Videtur autem popularium factio primo fecisse cum pacis cupidis, utpote quibus Hermocrate revocato timendum erat, ne sive per illum ipsum sive per offensos Carthaginienses novum bellum exardesceret; ceteri autem cives[2]) ideo commoti sunt, ut consilia sane dolenda legibusque contraria inirent: conspirantes enim cum duce suo occasionis tantum opportunitatem exspectabant, ut illum Selinunte, quo se iterum receperat, ad rem publicam ab insanae multitudinis dominatione liberandam advocarent. Quumque brevi tantum

---

[1]) Diocles in exilio videtur mortuus esse; certe eum iterum Syracusas rediisse nec legimus usquam nec, quum paullo post Dionysius tyrannus exstiterit, per se est verisimile. Quae Diodorus alibi (XII, 19. XIII, 33. 35) de voluntaria ac decora Dioclis morte et de templo ei dicato tradidit, ea ficta sunt; quae ille etsi non ipse excogitav t, attamen sine judicio ab aliis accepta propagavit. Eodem modo Charondam legum latorem sponte mortem obiisse Diodorus XII, 19 iisdem paene verbis ac locutionibus retulit; et similia de Zaleuco legumlatore narrata esse, Wesselingius ex Eust. (in Hom. p. 83) in annot. ad Diod. XII, 19 comprobavit. Quare tota haec narratio nihil est nisi mera fabula, fictu facillima, »legum latores iisdem poenis, quas aliis irrogassent, ipsos se affecisse;« quod si cui trium illorum re vera accidit, certe Diocles is fuisse non putandus est, quod jam Wachsmuthius (Hell. Alterthumskunde I, 2. p. 224 et 446) suspicatus est. Offendimur enim nimia verbositate, qua Diodorus de Diocle utitur; tum vero templo illo, quod ei dicatum refertur, tota res suspecta redditur. Quaeritur enim, quonam tempore Diocles se interfecerit, quoque templum fuerit aedificatum. Populus enim, qui sane aliquamdiu honore eum affecerat, denique ejus culpa, quum rem publicam male administrasset, accidisse videbat, ut urbs infortunio et contemptu paene obrueretur. Num ideo ei, praesertim bellicis quae sequebantur temporibus atque ante urbis moenia templum putabimus dicatum esse? Incredibile hoc. Quum autem postea per leges ejus nominis memoria servaretur, monumentum vero aut delubrum dedicatum non exstaret, fabulabantur, Dionysium, qui tot tantarumque rerum culpam sustinuit, templum, quum urbem muniret (cf. Diod. XIV, 18), delevisse.

[2]) Grotius si Hermocratis amicos »Männer von reactionärer Gesinnung« vocat, sane inique cum iis agit. Atque ipse Hermocrates non a partibus optimatium stetit, sed si sententiam ejus de optima reipublicae forma spectamus, prope accessit ad similitudinem Periclis.

temporis spatio interjecto propter continuos tumultus advocatus, agro Gelensi magnis itineribus percurso, clam ad eum locum, de quo convenerat, venisset, quamquam parva tantum copiarum pars sequi eum potuerat, tamen statim urbi supervenire incaute constituit. Atque primo quidem omnia e sententia evadunt: portam Achradinae, cui nocte occultus appropinquat, jam ab amicis urbanis occupatam reperit; intrat urbem; exercitus quoque major pars, quam reliquerat, adventat; at simul adversarii, alienas copias in urbem irrupisse sentientes, undique in forum concurrent, et Hermocrates cum plerisque amicorum, quum neque agendo nec fugae esset locus, superiore hostium numero oppressus, in viis urbis interficitur (hieme a. 408/7). Postea quinam conjurationis participes fuissent, quaesitum est: convicti in exilium missi; paucos tantum graviter vulneratos, qui mortui videbantur, propinquis auferre et a populi furore tueri licuit[1]).

Itaque Hermocratis amici non solum duce orbati erant, numerusque eorum, multis caesis aut in exilium missis, comminutus, sed etiam iis, qui in urbe remanebant, valde cavendum erat, ne proderentur populique suspicionem denuo in se excitarent. Civium enim sanguine per cives fuso furor excitatus erat, quae facile similis caedis causa fieri poterat. Nihilominus clandestinam inter se societatem sustinebant atque paullatim eos quoque omnes sibi conciliabant, qui aut ignava cum hostibus agendi ratione aut effrenata vi, qua vulgus magistratus debiles opprimebat[2]), non contenti erant, aut alia de causa novis rebus studebant, atque adeo eos quoque, qui sola unius dominatione urbem servari posse existimabant[3]). Quum autem populus inde ab eo tempore eo diligentius imperio suo caveret, ne quis virtute ante alios excelleret, opulentis optimatibus, qui pacis tantum cupidi erant, mox contigit, ut externis saltem in rebus magnam auctoritatem nanciscerentur. Increbrescebat enim anno 407 magis magisque rumor, Carthaginienses denuo bellum ingens parare, sine dubio Graecis inferendum. Tum vero factio illa pacis cupida populum, quippe cui pertimescendum esset, ne bello exorto novus dominus in urbe exsisteret, permovit, ut legatio Carthaginem mitteretur, quae de pace ageret[4]). At Carthaginienses, sive factio bellica populum

---

[1]) Diod. XIII, 75.

[2]) Plat. epist. VIII, p. 354 d.

[3]) Erant in eo numero praeter ceteros Philistus et Hipparinus; sed de his infra.


[4]) Inde ab exilio Dioclis et Hermocratis morte viros nobilitate et divitiis insignes per breve tempus in rebus externis plus valuisse ex

stimulabat, ut expeditiones Hermocratis ulcisceretur, sive fiducia eorum discordia atque ignava administratione Graecorum et nuperrimis dissensionibus caedibusque, quae in ipsa urbe Syracusis acciderant, confirmabatur, legatis incerta atque ambigua responderunt; et quum Syracusani securi atque periculum imminens neglegentes defensioni non providerent, ipsi strenue omnia parabant, ut proximo anno magnum consilium jam totius insulae subigendae exsequi possent[1]). Hannibali, qui iterum imperator designatus tantae rei curam, praesertim quum jam admodum senex esset, solus suscipere nolebat, collega datus est Himilco patruelis, qui par ei prudentia et cautione, alacritate autem et audacia superior erat[2]). Ambo igitur per annum 407 delectibus intra fines Carthaginiensium praeerant ipsi; sociis subjectisque, quos habebant in Africa, Mauretanis et Numidis, atque adeo nationibus ad Cyrenen pertinentibus, copias imperabant; ex Iberia, insulis Balearibus, Campania magnum virorum ob fortitudinem bellique usum clarorum numerum cogebant[3]). Tota quoque classis apparabatur, ut suo tempore expeditiones exercitus pedestris adjuvaret[4]).

Aristot. Politic. V, 4, 5 et Diod. XIII, 91. 96 elucet; de quorum consiliis cf. quae jam supra p. 35 diximus.

[1]) Diod. XIII, 79.

[2]) Nominibus 'Ιμίλκων, 'Ιμίλκας, 'Αμίλκας unum eundemque ducem significari, jam Niehues (de Dionysio majore p. 9. n. 2.) contra Lachmannium evicit. Quod vero unus vir tam variis vocatur nominibus, ut item Τυνδαρίδης et Τυνδαρίων (Diod. XI, 86), Ἀρέτης et Ἄριστος (XIV, 10 et 70), ejus rei inde videtur causa repetenda esse, quod Diodorus nomen modo illud, modo hoc, prout in eo fonte, quo tunc forte maxime utebatur, concinnitatis incuriosus transscripsit. Quae autem inter Hannibalem et Himilconem intercesserit necessitudo, e Just. XIX et Diod. XIII, 43. 80 cognoscitur et exprimitur hoc stemmate:



[3]) Diodorus (XIII, 80) de belli apparatibus ita loquitur, quasi a. 406 demum essent facti. Sed quum Agrigentum jam sub finem Aprilis illius anni obsideri coeptum esset (XIII, 91), atque antea jam ad Erycem pugna navalis commissa, magnos illos diuturnosque apparatus jam a. 407 institutos fuisse apparet.

[4]) Diod. XIII, 80. Classis centum viginti triremium fuisse dicitur; eum sane numerum tradidit locus Xenophonteus (Hellen. I, 5, 21). Niehues l. l. quamquam hunc locum attulit, tamen nescio qua de causa ipse naves nonaginta fuisse contendit.

Antequam vero omnes hac copiae, quarum maxima pars hieme demum a. 407 cogebatur, in Siciliam poficiscerentur, rem quam a. 409 Hannibal neglexerat, corrigere Poeni properabant. Is enim tunc decreverat de agro Selinusio, de Himerae non decreverat, quippe cujus incolas ulcisci tantum vellet. Jam vero interea Carthaginiensium voluntate neglecta Selinus a Graecis rursus munita anno praeterito magni momenti fuerat iis, qui illorum colonias oppugnabant; quodsi eodem modo Himera restituebatur, quod factum iri sane poterat exspectari, vehementer iis timendum erat, ne prius regiones ad haec oppida attinentes denuo expugnandae essent, quam de bello majoribus Graecorum urbibus ad orientem sitis inferendo cogitare possent. Quamobrem Carthaginienses, quibus jam constitutum erat bellum gerere, idque priore majus, ne omnia commoda expeditione superiore parta perderent, Graecos praevertere atque impedire properabant, quominus toto agro Himerae rursus potiti urbem omnino Graecam restituerent ac munirent. Non procul igitur ab eo loco, ubi Himera sita fuerat, prope fontes calidos a. 407 condiderunt oppidum, cui postea nomen Thermis datum est. Sane quidem ejus incolae non omnes Poeni erant, sed Graecis quoque in agro Himeraeo hic illic habitantibus ejus communio dabatur: ut autem his, quantum opus esset, resisteretur, ex Africa coloni deducebantur, quotquot in Sicilia fundos possidere cupiebant. Condito autem hoc oppido quid significaretur, id ii, qui Graecis civitatibus praeerant, iterum non satis perspexerunt: ostendebatur vero advenientibus his colonis hostili e gente, praeterquam quod terra, quae alioqui Graecorum fuisset, potiebantur, satis manifesto Carthaginienses fines suos in orientalem insulam esse provecturos Graecisque bellum illaturos. Prorsus simili modo jam a. 410 Poeni se mox in insulam invasuros esse significaverant [1]). —

---

[1]) Diod. XIII, 79. Ubi situm fuerit novum oppidum, quum e multis Siciliae fontibus calidis hoc loco ii tantum in censum venire possint, qui sunt prope Selinuntem et Himeram, facile est dijudicatu. Atque contra Mitfordium cum Wesselingio et Grotio non ad fontes Selinusios, sed prope Himeram deletam sitas fuisse Thermas censeo, quum ager Selinusius, qui ab ipso Hannibale pristinis incolis ita permissus erat, ut Carthaginiensibus tributum darent imperioque parerent, et ab ipso Hermocrate magno novorum colonorum numero erat repletus, coloniae Carthaginiensi deducendae eo anno neque aptus nec satis securus judicari posset. Contra ager Himeraeus post urbem prorsus deletam denuo ab expulsis aut non occupatus erat (Diod. XIII, 63) aut parva tantum ex parte, ut alienis colonis esset locus. Praeterea, qui tunc erat rerum status, Carthaginienses omnino timuisse putabimus, ne etiam hoc agro Graeci rursus potirentur. Fuisse vero in eo agro urbem proximo tem-

V.

Belli instauratio et finis. Initium Dionysii tyrannidis.

Anno 406 vero vix mare apertum erat, quum Carthaginiensium duces exercitum in insulam traducendum curarunt. Quum autem, quantopere bellum paraverint, Syracusanos haud ignorare scirent et jure, ne illi se aggrederentur, timerent, primum quadraginta naves longas ad mare, quod est ab occidentali Siciliae parte, explorandum miserunt. Quibus, hoste nondum conspecto, jam ultra sinum Motyensem provectis prope Erycem occurrit classis Syracusana totidem navium atque post acre proelium quindecim naves perdidit, reliquas fugavit. Bono igitur omine Graecis, qua ratione periculum evitaretur, commonstratum est: apparuit enim alterum bellum optime prohibitum iri, si hostes omni modo terra arcerentur. Sed Syracusani sive periculum jam profligatum arbitrati sive se solos atque parum paratos alteri hostium classi resistere non posse rati, id sane gravissimum crimen commiserunt, quod se receperunt sollertique illi Hannibali, qui novis L navibus longis jam Carthagine profectus erat, sine proelio, id quod eventurum is ipse ne sperare quidem erat ausus, mare concesserunt [1]). Itaque Carthaginiensium exercitus trajici et ad urbes Siculas inter septentrionem et occidentem sitas appelli potuit [2]). Unde mense ferme Aprili [3]) exercitus milium circiter CXX hominum — si eo numero includimus socios [4]) — profectus est, ut primum

---

pore, e compluribus Diodori locis (XIII, 114. XIV, 47. 56.) elucet; sed incolae e Carthaginiensibus, Afris, Graecis — quos ipsum nomen »Θέρμα« significat — mixti erant; videtur adeo urbs ipsa primum nunc Thermae, nunc Himera vocata esse. E Cic. in Verr. act. II. l. 2. c. 33. § 73 denique Thermitanos Himeraeorum posteros fuisse apparet.

[1]) Diod. XIII, 80.

[2]) Ad Motyen et Panormum, nisi fallimur; cf. Diod. XIII, 88.

[3]) Elucet hoc e tempore, quo Agrigentum expugnatum est, cf. Diod. XIII, 91.

[4]) Diod. XIII, 80. Praeter hunc Timaei numerum, qui etiam apud Xenophontem (Hell. I, 5, 21) invenitur, iterum multo majorem atque nimium scimus traditum esse ab Ephoro, eumque, nisi fallimur, secundum Philistum (cf. supra pag. 53 n. 1.) Atque Nieh. l. l. pag. 8 recte Timaeum sequitur, Grot. V, p. 646 quaestionem non movet, Todt. l. l. p. 6 sine ulla dubitatione majorem numerum CCC milium praefert, ut qui soleat majores exercituum numeros rectiores ducere (pag. 10. n. 2.) Cui assentiri prorsus non possum. Primum enim ingens ille numerus, qui saepius occurit, nimius sane videri debet pro iis opibus, quibus tunc Carthago pollebat, et pro parvis Graecorum oppidorum exercitibus atque pro eo, cui postea Dionysius praeerat, quique pugna ab illo prorsus exstingueretur necesse fuisset, nec non pro numero navium, quibus transvehebantur barbari. Praeterea ne Diodorus quidem, quamvis maxime soleat esse credulus, de magno hoc numero fidem Ephoro habuit,

validissimos hostium, Syracusanos, oppugnaret: quibus profligatis reliqua Graecorum oppida consilio illo totius insulae subigendae diu resistere non posse videbantur. Carthaginiensium duces quum ante Agrigentum venissent, incolis proposuerunt, ut foedus secum icerent aut certe bello abstinerent, memores illi quidem veteris inter Agrigentinos et Syracusanos certaminis atque odii ratique, quamvis a. 409 hostes se gessissent,

---

quod jam supra (p. 46. n. 1) vidimus, et quod quum aliis ex locis tum ex hoc consequitur. Etsi enim XIII, 85 unam tantum exercitus partem, quae ipsa non obsidebat Agrigentum, diserte ex XXXX milibus hominum constitisse testatur, tamen variis de causis reliquum exercitum non fuisse CCLX milium virorum, quod necesse esset secundum Ephorum, consentaneum est. Dispositio enim copiarum ab Hannibale et Himilcone ante Agrigentum instituta omnino ei similis est, quae ante Himeram facta erat a. 409. Et illic et hic totus exercitus in duas partes divisus est, quarum altera urbem obsidebat, altera huic erat praesidio, atque illic prior quam superior duplex erat (cf. p. 52): quam eandem rationem hic habemus, si Timaeum sequimur. Si vero Diodorus magnos illos Ephori numeros probasset, sane nimis diversa fuisset hoc loco utriusque exercitus magnitudo. Consideremus porro, quibus ex partibus Carthaginiensium exercitus compositus fuisse tradatur. Maximam partem efficiebant copiae in ipsa Libya et Carthagine delecti (cf. etiam Momms. h. Rom. I. pag. 508 sq.). Quibus accedebant Mauretani et Numidae socii, praeterea magnus numerus mercenariorum, quorum plerique ex Iberia, haud ita multi e Campania cogebantur. Jam vero si ex Iberis, i. e. omnibus fere e mercenariis, et praeterea e parte militum Libycorum exploratorius ille exercitus componebatur (Diod. XIII, 85), credi sane potest, reliquarum copiarum numerum fuisse LXXX milia; sed fuisse milia CCLX, quod consentaneum esset secundum Ephorum, hoc sane credi non potest. Restat, ut de origine magnorum numerorum pauca addamus. CCC illa hominum milia, quos jam Hannibal a. 480 in Siciliam duxisse fertur, primo re vera nihil nescio an significaverint, nisi exercitum ingentem et modum excedentem (cf. Nieb. l. l. II, p. 124 de certis quibusdam numeris apud gentes meridionales usitatis): originemque e fabulis traxisse videntur, quae de pugna ad Himeram a. 480 commissa tradebantur. Paullatim vero in tantam venerationem Graecorum, qui libentissime primae illius gloriosae victoriae recordati sunt, numerus pervenit et ita quasi sancitus est, ut proprie acciperetur atque etiam in historiarum libros irreperet et ubique occurrat. Cf. Diod. XI, 1. 20; secundum XI, 22, XIII, 59 dimidium barbarorum, secundum XIII, 94. XIV, 67 omnes perierunt. Atque ne Timaeus quidem huic numero aliquid detraxisse traditur. Quum vero Dionysium amici libenter tanquam alterum adversus barbaros Gelonem praedicare studerent (cf. infra p. 86 n. 1), proclive erat Philisto, non Ephoro, barbarorum opes easdem effingere, quae a. 480 fuisse ferebantur. Nam si Graeci atque inprimis Dionysius contra exercitum tam ingentem aliquid efficiebant, gloriam nanciscebantur eo majorem; sin vincebantur, dedecus haud tantum, quantum paribus fere exercitibus, contrahebant. Talia et similia mendacia de hostium ingenti numero vel de multis barbarorum occisis, quum e civibus pauci tantum caesi sint, satis crebro in antiquitate reperimus, neque a nostra aetate prorsus aliena sunt.

unam tamen populi partem, fundorum possessores et mercatores divites, qui multo quaestuosoque commercio cum iis juncti erant, ab eo proposito non fore alienos. Atque Agrigentini etiam prioribus bellis contra Athenienses, quibuscum minus commercium habebant, gestis ea sane mente ac ratione, quae exspectari potest a mercatoribus quaestum sectantibus usi pugnis abstinuerant soli. Sed tunc metu Carthaginiensium, quorum post Selinuntem subactam vicinitatem periculosam sibi viderent, permoti sunt, ut a gentilium parte starent. Itaque hostium duces, quum tantam urbem hostilem pone se relinquere non possent, priore consilio, ipsius urbis Syracusarum statim expugnandae, primum neglecto Agrigentum coacti erant obsidere [1]).

Situm erat Agrigentum in mole saxorum, quae paullo plus mille pedes supra mare edita sunt et a reliquis montibus usque ad mare pertinentibus profundis rimis atque vallibus separantur [2]). Haec saxa plerisque a partibus ardua sunt et praerupta; erantque muro perpetuo, partim ex ipsis saxis confecto, circumdata; occidentali tantum parte rupes mediocriter proclivis est, ut faciliorem aditum praebuerit [3]). Altior etiam urbe ipsa longe conspicua [4]) multoque munitior erat arx ad septentrionem sita, quae, quia una tantum parte unica via cum urbe conjuncta erat, reliquis autem a partibus arduas ob rupes accessum omnino non praebebat, etiam tum defendi poterat, quum illa jam expugnata erat. Praeterea urbis tres partes fluviis cingebantur, oriens Acragante, occidens Hypsa, qui quidem paullo magis ad meridiem haud procul ab urbe in Acragantem defluit, ita ut uno ore ambo se effundant in mare [5]). Cingens urbem regio quae per multa passuum milia egregia fertilitate excellebat, praeclare tunc temporis culta ingentem proferebat maxime frumenti, olei, vini copiam [6]), quam, quum urbs XVIII tantum stadia a mari abesset bonumque haberet portum, alias in terras transvehere non erat difficile [7]). Ad septentrionem pergentibus

---

[1]) Diod. XIII, 85. Voluisse Carthaginienses statim Syracusas oppugnare, inde consentaneum est, quod Agrigentinis proposuerunt, ut foedus secum facerent aut bello abstinerent.

[2]) Cf. Klöd. l. l. II, p. 219. Grot. l. l. V, p. 648.

[3]) Diod. XIII, 85. καθ' ἕνα τόπον κτλ. 86.

[4]) Verg. Aen. III, 703.

[5]) Polyb. IX, 7. cf. Cluv. l. l. I. p. 108.

[6]) Diod. XIII, 81 sq. Etiam hodie, quamvis vehementer terrae opes decreverint, multae fruges et solo procreantur et alias in regiones vehuntur; proximeque a mari absunt maxima totius insulae granaria, in ipsa saxa incisa; cf. Klöd. l. l. p. 219.

[7]) Polyb. l. l.

usque in mediam insulam [1]) occurrebant tum silvae ingentium quercuum, ilicum, fraxinorum, quae ad nostra usque tempora terrae decori et utilitati fuerunt, tum pascua illa uberrima lateque patentia, in quibus praeter oves praecipue multi praeclarique equi nutriebantur. His enim procreandis et educandis quum omnes Siculi tum maxime Agrigentini summam navabant curam atque operam [2]). Nemo ibi fuit paullo opulentior, quin aliquos certe aleret equos luxuriae gratia, maxime ex quo Theron his equis Olympicas victorias reportarat; pompa nulla publice aut ab singulis hominibus nobilibus instituta, quin magnificis equis longisque curruum ordinibus celebraretur [3]). Addebatur autem his rebus jam per se non vilibus pretium eo, quod terra patria et Italia et inprimis Libya iis fructibus quum maxime egebant [4]). Itaque longa pace, quae inde ab a. 480 brevibus tantum levibusque bellis contra Syracusanos aut Siculos gestis interrupta fuerat, urbs tantopere aucta erat, ut magnitudine et potentia solis Syracusis cederet, divitiis opibusque fortasse eas etiam superaret [5]). Tantis in divitiis mirari non possumus, quod multitudinem aedificiorum magni-

---

[1]) Jam Phalaris fines territorii longe provexerat in mediam insulam. Polyaen. V, 2. cf. Dunckeri Gesch. d. Alterth. IV, p. 532.

[2]) Agrigentum ante alios urbes »magnanimum quondam generator equorum« vocatur a Verg. Aen. III, 704.

[3]) Diod. XIII, 82. 84.

[4]) Diod. XIII, 81. cf. supra p. 20.

[5]) Diog. Laërt. VIII, 63 incolarum non minus octingenta milia fuisse tradit, quem nuntium fide dignum non habebimus, cf. ed. Huebner. et Wessel. annot. ad Diod. XIII, 84. Qui quidem auctor, secutus, ni fallor, Timaeum, cujus permagni interfuisse videtur, ut Agrigenti opes et res copiose enarrentur et illustrentur (cf. multa ejus fragm. huc pertinentia ap. K. Muell.), civium illo tempore amplius viginti milia, incolarum vero, inclusis eo numero peregrinis, circa ducenta milia fuisse refert; qui idem numerus iterum paullo infra invenitur c. 90. Jam nisi cum Nieb. l. l. II, p. 120 sq. III, p. 208 putare volumus, his numeris nihil nisi magnam frequentemque urbem significari, sed si eos accedere saltem ad veritatem concedimus, certe statuendum erit, non urbis solum incolas, sed omnes cives civiumque familias, inquilinos, servos, et qui in urbe et qui ruri degebant, numerum illum CC milium effecisse. Atque magnam multitudinem hominum aeque atque ineunte bello Peloponnesiaco Athenas, tunc quoque rure in urbem confugisse, disertis verbis traditum est a. Diod. XIII, 88, ut mirari non possimus, cur omnium incolarum toto agro habitantium computatio sit facta. Si vero Agrigentinos inprimis non mercaturae, sed terrae magnae fertilique colendae operam dedisse eaque in re multis servis (cf. Diod. XI, 25) usos esse respexerimus, hunc numerum nec civium nec servorum quidem nimium habebimus. Hodie quoque — secundum censum a. 1857 factum in provincia Girgenti extensa per LXV milliaria quae vocantur quadrata, quamquam in ea urbs nulla XX incolarum milium est sita, plus CCL milia hominum habitant.

ficorum, quae et ut urbem ornarent et ut ei prodessent publice exstructa erant, variaque artificia coacervata reperimus [1]); praeterea singuli cives opulenti inter se et coram hospitibus de splendore et magnificentia ita certabant, ut et luxuries et hospitalitas eorum proverbii locum optinerent [2]).

Rei publicae vero administratio, quamquam vulgus sine dubio ingens erat numero jamque diu novis rebus studebat, tamen maxima ex parte penes divites erat, qui ut omnibus in urbibus, quarum opes et potentia ex agricultura praecipue profluxerunt, orti erant locis nobilibus. Vetus illud consilium mille virorum e censu, ut videtur, creatorum, quod Empedocles populo applaudente sustulerat [3]), tunc iterum, nisi omnino fallimur, rebus urbis praeerat. Certe ad summos magistratus ac potissimum ad imperium bellicum homines neque belli usu experientiave neque fortitudine prae ceteris excellentes pervenire poterant, modo aliae res, ut divitiarum magnitudo vel nobilitas, iis faverent [4]). Atque tempore expeditionis Atheniensium quamquam una factio, clam sine dubio a Syracusanis adjuta, ut civitas belli contra Athenienses gerendi particeps fieret, efficere studuerat multasque seditiones in urbe excitarat, tamen ejus adversariis pacis amantibus contigerat, ut quae ipsi volebant, assequerentur et novarum rerum cupidos ex urbe depellerent [5]). Itaque etiam magno illo motu, quo post illud

---

[1]) Commemoro tantum vivarium magnum (Diod. XI, 25. XIII, 82.), canales subterraneos, qui Phaeaces vocabantur (Diod. XI, 25), templum Jovis Olympii (Diod. XIII, 82. Polyb. IX, 7) et Minervae (Diod. XIII, 90), monumentum Theronis (Diod. XIII, 86), taurum Phalaridis (Diod. XIII, 90).

[2]) Diod. XIII, 82—84. Timaei fragm. (K. Muell.) 113. 114 et Empedoclis de civibus suis facete dictum, quod servatum est a Diog. Laërt. VIII, 63.

[3]) Cf. K. O. Muell. Dor. II, p. 158. Talem senatum mille virorum e censu creatum Crotone quoque et Rhegii invenimus (Muell. l. l. II, pag. 174) itemque Locris (Muell. II, pag. 225). Quod Agrigentini etiam posterioribus temporibus antiquam rei publicae formam restituebant (Muell. II, p. 159 secundum Cic. in Verr. act. II, l. 2. c. 50 § 123), id comprobare mihi videtur, cives veteres, simulatque per tempora liceret, semper ad τιμοκρατίαν pristinam, quae multa iis praebebat commoda, recurrisse.

[4]) Quod Gellias, qui πλουσιώτατος appellatur, legatus civitatis erat, id nihil probaret: magni autem momenti est, quod Diod. XIII, 87 narrat, plebem imperatoribus Agrigentinis iratam, quum poenas ab iis repeteret, Argeum »τὴν ἡλικίαν παντελῶς ὄντα νεώτερον« non una cum reliquis interfecisse. Quod si homo tam juvenis tamque non idoneas — atque non idoneos illi se praestiterant — imperator factus est, hoc sane non nisi propter quaedam privilegia, sive divitias, sive nobilitatem, fieri potuit.

[5]) Thuc. VII, 46. 50. Factio Agrigentinorum, quae a. 414 Syracu-

bellum agitatus Syracusanorum populus rei publicae formam in veram democratiam verterat, populus Agrigentinus omnino non erat affectus, quum nihil, quod animum fiduciamque pari modo confirmaret, perfecisset.

Quas res omnes satis detrimenti Agrigentinis afferre tunc obsidione imminente apparuit. Namque urbs, per se egregie munita multisque referta defensoribus, tamen omnino non praeparata erat — ne longae quidem naves fuerunt praesto — praetereaque magis ibi quam in qualibet alia urbe Graeca cives, qui belli sumptus ipsi faciebant ipsique militiae vacabant, rei militaris omni usu atque peritia carebant [1]). Civitas enim luxuriosa bellique imperita sibi ipsa non satis confidebat, ducesque, qui erant quinque [2]), si non ignavi, at certe non idonei erant: quid quod ne rei frumentariae quidem providerant, quamvis magis magisque jam hieme belli fama increbruisset? Itaque quum appulissent Carthaginienses, primum celerrime copiam frumenti quam maximam ex aperto in urbem cogebant [3]) simulque mercenarios ducemque rei militaris usu excellentem quaerebant, ut praesidium urbis numero militum jam belli peritorum augeretur; nam a reliquis Graecis urbibus ante adventum Carthaginiensium auxilium variis de causis haud ignorabant exspectari non posse. Prospere igitur evenit, ut ipso illo tempore Gelae Dexippus Lacedaemonius, mercenariorum dux, moraretur, qui jam aliqua gloria fruebatur; atque is, quum rerum status in insula jam complures per annos incertus fuisset, brevi perfecit, ut MD homines cogeret, quos Agrigentum duxit; praeterea etiam Campani illi DCCC, qui a. 409 Hannibali obedierant et ab eo offensi erant, ab Agrigentinis conducti sunt. Tantopere autem cives mercenariorum fiduciae et fortitudini sollertiaeque Dexippi confidebant, ut illis Athenaeum, quod plurimum valebat ad urbem tuendam, custodien-

---

sanis faverat, vulgus fuerat, nec certe fundorum possessores divites et superbi, qui timebant, ne quodvis bellum incommoda et damna sibi afferret. Etiamsi igitur omnes in insula urbes Graecae ab alterutra parte stabant, ipsi et Syracusanis, qui antiquitus cum iis certaverant, infensi et a foedere Atheniensi, quamvis multa commoda afferre videretur, alieni erant: ne multa, bello utique abstineri volebant. Si vero intestinam seditionem profligare adversariosque suos belli cupidos aut certe partem eorum ex urbe expellere poterant, oportet sane tunc multum valuerint eumque principatum ex eo tempore etiam magis confirmaverint.

[1]) Concluditur hoc ex iis omnibus, quae de vita Agrigentinorum narrantur, licet Diodorus (XIII, 84 extr.) veritatem excedat.

[2]) Diod. XIII, 87.

[3]) Diod. XIII, 81.

dum traderent, huic in omni defensione instituenda maximam tribuerent auctoritatem[1]).

Poenorum interea duces, quum, quae proposuerant[2]), repudiata essent, omnia parabant ad urbem obsidendam. Quam cingi propter magnum moenium ambitum undique prorsus non posse, id haud diu eos fugit; fuisset etiam hoc inutile, quum plurimis partibus adiri omnino non posset. Quare copiis cunctis duas in partes divisis alteram, quae militum XL milibus constitit, ab orientali urbe collocatam in colle urbem observare et, si qui Graecorum exercitus ad eam liberandam appropinquarent, eos repellere jusserunt[3]); alteram, quae erat LXXX milium hominum[4]), ab occidentali urbis parte, quae facillimum iis visa erat aditum praebere, collocatam vallo et fossa circumdederunt. Itaque et ab oppidanorum eruptionibus tutiores erant et, quominus ii a mari sive copiis sive alimentis juvarentur, prohibere poterant. Tum viribus omnibus adversus unum locum unitis urbs ab exercitu majore oppugnari est coepta. Atque primum ab occidente oppugnarunt duabus turribus ad moenia admotis. Agrigentini autem, qui statim primo die magno detrimento has turres sibi esse animadvertissent, felici eruptione noctu facta hostes vicerunt et machinas combusserunt[5]). Tum vero duces Carthaginiensium aliud sane difficilius et diuturnius sunt conati; pluribus enim a partibus urbem aggredi constituerunt atque primum quidem etiam a meridie, ubi sepulcra erant sita[6]). Atque ut machinis viam pararent, aggeres terrenos per colles ad moenia sitas jusserunt exstrui sepulcraque everti; qua e re mox summa Poenis orta sunt incommoda. Quum enim ingenti hominum multitudine satis exiguo in spatio eoque humido coacervata vapores perniciosi in aëre orti essent, accederentque dierum nimii calores, noctium frigora, aqua denique putida et vapida, gravis pestilentia invasit exercitum[7]), quae quum permultos tum ipsum Hannibalem perdidit, Magno vero infortunio exercitui injecta est timor et superstitio, quum milites totius miseriae inde repetebant originem, quod duces sepulcris non pepercissent, sed

---

[1]) De Dexippi auctoritate cf. etiam Diod. XIII, 87 extr.

[2]) Cf. pag. 68.

[3]) Diod. XIII, 85. 87. Recte Grotius l. l. pag. 649 n. 101 contra Seyfertum adnotavit, collem ab orientali urbis parte situm fuisse.

[4]) De numero vide p. 66 n. 4.

[5]) Diod. XIII, 85.

[6]) D'Orvillio teste l. l. I, p. 94 sq.

[7]) Idem morbus fuisse videtur, qui bello Siciliae illato saepius Poenorum exercitum eumque semper solum vexavit. De ipso morbo cf. Haeserum (Gesch. der Med. II, p. 17 sq.).

eorum materiam in usum suum convertissent. Quam ob rem Himilco, qui jam solus exercitui praeerat, a reliquis sepulcris abstinuit et animorum placandorum gratia patrio ritu sacrificiis scelus expiavit. Aggeris tamen exstructionem, quamvis ob eam permulti morerentur, non interrupit; quin fluviorum alterum, qui ipsum murum spatio brevi interjecto praeterfluit[1]), materie explevit, ut machinae traduci possent, atque ubicunque per aggeris altitudinem fieri poterat, nullum praetermisit diem quin oppugnaret[2]). Si vero vi nihil proficiebat, ad dolum refugit, et mox assiduitate, ingenti caesorum numero neglecto, urbem magnis pressit angustiis[3]).

Tandem Agrigentinis lux exspectata affulsit. Syracusani enim, qui initio non sine causa timuerant, ne Carthaginienses bellum sibi inferrent, in omnes urbes sibi amicas miserant, qui quam celerrimum peterent auxilium[4]); de Agrigenti autem obsidione certiores facti quum viderent periculum sibi non statim imminere, sed fore, ut immineret, simulac Agrigentum expugnatum esset, ineunte fere aestate[5]), ubi sociorum copiae advenerunt, auxilia miserunt. Fuerunt in iis non solum Graecorum in insula oppidorum milites, sed etiam ex Italia singulae manus venerant; nam in dies Graeci magis intellegebant, Poenos non singulis oppidis inferre bellum, sed utramque nationem de Sicilia tota et de libertate certare[6]). Exercitus, quem classis XXX navium longarum prosequebatur, Daphnaeo

---

[1]) Nomen fluvii apud Diod. non invenitur, videtur autem Hypsas fuisse. Is enim fluvius secundum Polyb. IX, 7 eam urbis partem, quae inter meridiem et occidentem sita erat, praeterfluebat. Idem Wesselingio videtur.

[2]) Diod. XIII, 86.

[3]) Puto strategema a Polyaeno (V, 10, 4) narratum secundum rerum nexum et ordinem hoc loco, si unquam, esse inserendum nec vero, ut Wess. in annot. ad XIII, 88 statuit, post pugnam ad Himeram fluvium commissam et ducum Agrigentinorum necem. Quum enim dolus solius fuisse tradatur Himilconis, ex mea sententia demum post mortem summi imperatoris Hannibalis ab illo excogitatum et adhibitum esse potest, deinde vero quum paullo post inverso Marte ipse Himilco a Syracusanis in suis castris quasi obsessus sit, ante horum adventum videtur statuendum. Fortasse ob hanc cladem insidiis acceptam duces Agrigentini inde nimia illa cautione et anxietate usi sunt, de qua infra sermo erit (cf. XIII, 87).

[4]) Diod. XIII, 81.

[5]) Graecorum in Italia habitantium si adventus Syracusis exspectabatur, satis temporis inde ab initio obsidionis Agrigenti praeterlapsum puto, praesertim quum singulorum oppidorum exercitus nondum praeparatos magna semper tarditate usus esse constet.

[6]) Quod Itali quoque pugnarum participes sunt facti, taceo; vide verba Diod. XIII, 81: ἀπέστελλον τοὺς παρορμήσοντας τὰ πλήθη πρὸς τὸν ὑπὲρ τῆς κοινῆς ἐλευθερίας κίνδυνον.

Syracusano duce secundum oram maritimam Camarinam et inde Gelam profectus est, quumque ex his urbibus et e media insula milites accederent, adeo est auctus, ut quo tempore Himeram fluvium trajiceret, amplius XXX milibus peditum, equitum V constaret[1]). Ibi autem occurrerunt Poeni, nam Himilco certior factus de hostium adventu alterum exercitum XL milium obviam miserat. Oritur proelium diuturnum; utrimque summa acritate ambiguoque Marte certatur. Atqui jam Graeci Itali, in cornu sinistro collocati, valde perturbati sunt, jam audiuntur inde laetabundae barbarorum voces, quum Daphnaeus, Syracusanis cunctantibus victorum sociorum esse exclamationes persuadens, ambitionem excitat. Novum inde ac vehementissimum faciunt impetum; hostes resistere non valent; cedunt in cornu altero; mox sex hominum milibus occisis reliquos quoque in fugam trahunt[2]). Sed clades non ea erat, quae toti bello finem imponeret; videns enim Daphnaeus copias suas nimis acriter et sine ordine longum in spatium hostem persequentes, eas recto usus consilio revocavit; verebatur enim ne Himilco fugientes colligeret et ipse novis copiis acieque instructa dispersos aggrederetur. Tum vero Graecis non modo valde timendum erat, ne victoria tanto labore parta in irritum caderet atque adeo in cladem mutaretur; sed, quod multo gravius erat, aditu ad urbem nunc libero Daphnaeus facile prohiberi potuit pugna iterata. Si vero urbani tunc eruptione facta Himilconem ante urbem retinuissent, tunc sane Poenis timendum fuisset, ne totus exercitus disjiceretur. Atque fuerunt in urbe, qui ut eruptio fieret acriter postularent; sed duces Agrigentinorum, sive nimia cautione atque anxietate commoti, sive a Dexippo proditore impediti, temporis opportunitatem praetermiserunt. Itaque fugientes quidem nullo impediente Himilco in castra recipere, colligere, ad pugnandum denuo aptos reddere potuit; simul tamen Syracusanorum victoria et expugnatione alterorum castrorum summum periculum ab urbe remotum erat.

Agrigentinorum autem ducum culpam poena confestim secuta est. Quum enim paullo post magnus hominum numerus in eoque ipsi duces et Dexippus descendissent in castra Syracusanorum, qui mancam atque imperfectam suam victoriam Agrigentinis ducibus imputabant, quumque ipse Menes,

---

[1]) Diod. XIII, 86.

[2]) De proelio et clade Carthaginiensium breviter tantum refert (praeter Xenophonteos locos suspectos I, 5, 21 et II, 2, 24; cf. supra p. 14). Diod. XIII, 87. Expletur autem hujus narratio a Polyaeno (V, 7); a quo commemoratum Daphnei strategema sine dubio ad hanc pugnam referendum est.

qui Camarinaeis praeerat, palam eos nimiae neglegentiae accusasset, erupit tandem aliquando, quod diu oppressum erat, plebis adversus eos, penes quos summa reipublicae erat, eorumque duces non idoneos odium atque indignatio. Atque adeo tumultus, adeo furor vulgi auctus est, ut ne loqui quidem seque defendere duces paterentur, sed quattuor ex iis contra leges extemplo lapidibus interficerent solique quinto, cui nomen Argeo erat, propter magnam adolescentiam parcerent. Ipse quoque Dexippus identidem male audiebat dicebaturque tamquam proditor urbis se gessisse[1]).

Inde ab eo tempore in dies plura pericula Himilconi imminebant. Daphnaeus enim exercitum ejus non observabat tantum et urbe oppugnanda arcebat, sed longius progressus ipsum in castris obsidere conatus est. Quod etsi non patravit, alia tamen ratione magno eum damno affecit. Quum enim Carthaginiensium classis, Syracusanorum naves longas metuens, ne nunc quidem orientem versus eo procedere auderet, ut Himilconis exercitui alimenta afferret, quumque Daphnaei equites et milites expediti eos, quos ille praedatum et frumentatum miserat, singulis proeliis opprimerent itaque terra quoque Poenos commeatu intercluderent: Himilconis, qui tam diuturnam obsidionem non exspectaverat, exercitus tantas in augustias compulsus est, ut quotidianus militis victus esset attenuandus; denique orta est fames, qua multi perdebantur. Tum vero plerique mercenariorum atque inprimis Campani seditionem fecerunt, ad hostem se transituros minati, nisi Himilco eum, de quo convenissent, victum quotidie praeberet omninoque novis alimentis prospiceret. Jam enim hiems appropinquabat et urbani etiam omnibus rebus abundare necdum quidquam minus quam deditionem spectare videbantur. Sed Himilco, omnibus quibus opus erat rebus jam praeparatis, seditiosis pollicitus est, paucis diebus praeterlapsis larga alimenta praesto fore; quin ejus rei adeo fuit securus, ut iis multitudinem pretiosorum calicum et vasorum, quae ipse et comites ejus secum tulerant, pignus traderet. Quum enim ab iis, quos clam in urbe ami-

---

[1]) Diod. XIII, 87. Niebuhrius si l. l. III, p. 209 Daphnaeum perditum abjectumque vocat hominem, inique sane cum eo egit, quum adversariorum tantum odio ipse et collegae corruptionis accusati (cf. XIII, 91) nec vero convicti essent. Non convicto enim Dionysius, ab irata multitudine adjutus (c. 92), imperium abrogavit, quum suis consiliis impedimento esset; iisdemque de causis postea eum interfecit (c. 96 cf. Aristot. Polit. V, 4, 5). Re vera autem Daphnaeum, quamvis ad Himeram vicisset, ob levitatem et neglegentiam, qua posthac usus est, Agrigenti expugnationis reum esse factum, id equidem persuasum habeo.

cos habebat[1]), Agrigentinos, qui post Daphnaei adventum mox cessuros hostes sperantes primum sueto more prodige omni victu essent usi, nunc autem spem illam falsam viderent, famis timore permotos a Syracusanis ad hiemem commeatum petiisse certior esset factus, clam Motyae et Panormi XL triremes militibus impleri et solvere ancoras jusserat, quae naves frumentum apportantes subito adortae caperent. Quem dolum prospere esse cessurum eo certius sperare poterat, quod Daphnaeus, quum per amplius sexaginta annos nulla hostium navis longa illis in regionibus visa neque eo anno proelium navale ibi commissum esset, etiam triginta illas naves, quae eum prosecutae erant, domum remiserat.

Syracusani igitur, qui nimis imprudentes atque securi, paucis longis navibus prosecutis, Pachynum promontorium circumvecti largum, quem habebant, commeatum pedestris exercitus praesidio opinabantur tutos exponere se posse, Poenis subito adortis, octo longis navibus submersis reliquisque fugatis onerarias omnes amiserunt. Itaque factum est, ut Himilco novo victu comparato urbem diutius obsidere posset, Agrigentini autem omni salutis spe privarentur. Quum enim Poeni mari nunc superiores omnem inde commeatum, qui quidem paullo uberior esset, proximo tempore prohiberent, mox urbs hominibus justo refertior et castra quoque ipsa inopia premebantur. Civium animi in dies sunt comminuti; ii, quibus plurimum confisi erant, mercenarii Campani, primi ab iis defecerunt et XV talentis corrupti ad hostes transierunt; deinde Graeci Itali a Dexippo item XV talentis corrupto commoti, nescio quid vani praetexentes, sese a sociis sejunxerunt domumque reverterunt; denique reliquorum quoque sociorum duces, quum minimas esse nec sufficientes in urbe frumenti copias ipsi vidissent, cum ipsis Agrigentinorum ducibus judicarunt, necesse esse urbem quam primum relinqui[2]). Quam rem securitatis causa in proximam noctem constituerunt decreveruntque, quum ad orientem via pateret, primum Gelam migrare, unde Syracusanis invitantibus maxima pars Leontinos se con-

[1]) Videtur Himilco cum Campanis, qui in urbe erant et paullo post ad eum defecerunt, per eorum gentiles, qui erant in exercitu Poenorum, clandestinum commercium habuisse, fortasse etiam cum ipso Dexippo, cujus de proditione fama jam certior fertur.

[2]) Diod. XIII, 88. Apud Xenophontem quoque (l. l. I, 5, 21. et II, 2, 24.) oppressos fame Graecos ex urbe cessisse legitur. Attamen intra complures menses praeter illud ultimum et maximum damnum etiam alias clades Graecos accepisse, quae a Diodoro non sint traditae, id concludi licet ex Polyaeno (V, 2, 2: ἡττωμένων πολλάκις Συρακουσίων.).

tulit[1]). At multi in magna exeundi festinatione hostibus relicti sunt, multi sponte in urbe remanserunt, quum nollent, ut Gellias, patriae esse superstites[2]). Postero die Himilco post obsidionem circiter octo mensium ineunte fere decembri a. 406 urbem occupavit[3]), incolas, qui supererant, trucidari, omnes domus templaque diripi, multa urbis artificia et ornamenta, in iisque famosum Phalaridis taurum, tropaeorum loco Carthaginem mitti jussit[4]). Persecutus autem hostem non est, quum eventu hujus expeditionis, cujus initium tam triste fuerat, esset contentus. Praeterea hostes si fugientes esset aggressus, acriter sane omniumque virium contentione restitissent, nec magnum ipse profecisset, quum Himerae fluvii trajectione facile prohiberi potuisset, nec Gela multum abesset. Itaque militibus, quibus quiete maxime opus esset, parcere eosque reficere constituit et, quum finem belli nondum factum sciret, omnia denuo praeparare gerendo. Quare ne foederata quidem in oppida ad occidentum versus sita rediit, sed in ipsa urbe Agrigento, quae satis erat et munita et ampla, hiemavit, ut primo vere bellare rursus inciperet[5]).

Agrigentinorum fato comperto totius insulae civitates vehe-

---

[1]) Diod. XIII, 89.

[2]) Cf. Diodori verbosam descriptionem c. 89/90.

[3]) Diod. XIII, 91. Apud Xen. Hell. I, 5, 21 obsidio septem tantum mensium fuisse traditur neque hoc loco nec II, 2, 24 anno recto attributa est. (Cf. supra p. 12. sq.) Consentit mecum de expugnationis tempore Aem. Muellerus l. l. p. 49, quum alterum locum (II, 2, 24) certissime ab interpolatore male docto additum esse contendat, alterum vero (I, 5, 21) genuinum esse asseveret (p. 47.) et Xenophontis errorem, quem confitetur, ad Diodori narrationem corrigere studeat. Putat enim »pugnam navalem, qua Syracusani Poenos vicerunt, et legationem, quam compertis Poenorum apparatibus Spartam miserunt (a. Antigenis 407/6), eas Thucydidem in commentariis recte inter res gestas anni belli 25. (i. e. anni 407) memorasse; qua re Xenophontem inductum esse, ut ad eundem annum minus accurate referret ipsam expeditionem, quae ineunte anno 26. i. e. 406 incepta, hieme finita est.« Quod equidem miror unde sciat. Thucydidem enim eas tantum res Siculas enarrasse, quae arctius cum bello Peloponnesiaco cohaerebant, id vel maxime ex eo apparet, quod de gravi Dioclis constitutione ne verbum quidem prodidit. Itaque ex Thucydide non sunt, quae apud Xenophontem de rebus Siculis inveniuntur. Quae si quis non concedat, illud tandem recordetur, Xenophontem, ut aequalem, ex Thucydidis commentariis, sane dilucide scriptis, tantam rem et recentem, qualis erat expugnatio Agrigenti, falso anno attribuere non potuisse. Quamobrem etiam hunc locum Xenephonteum (I, 5, 21) spurium esse verisimillimum est. Quod Diodorus quoque partem belli Agrigentini falso jam ad Calliae archontis annum (406/5) retulit, ut Aem. Muellerus monet, de hac re videas, quae de Diodori scribendi more supra pag. 9. observata sunt.

[4]) Diod. XIII, 90. 96. Cic. in Verr. act. II, 4. c. 33. § 73.

[5]) Diod. XIII. 91. 96.

menter commotae ac perterritae sunt. Quippe si urbs tam praeclare munita, postquam Graeci jam vicerunt tantasque in angustias barbaros compulerunt, ut de horum deditione in dies exspectaretur nuntius, tamen defendi et servari non potuerat, jam nihil videbatur ab hostibus tutum esse. Quapropter multi Graecorum cum liberis et uxoribus omnique re familiari, quae quidem auferri poterat, hiemis acerbitatem spernentes e parvis oppidulis et e vicis aut in Italiam aut in majores insulae urbes et maxime quidem Syracusas confugerunt, ne confestim Poeni longe lateque agros devastarentur veriti [1]. Atque hac in urbe cives copias et Agrigentinos fugitivos immoti anxiique viderant advenientes: mox autem vehementibus fugitivorum plangoribus atque accusationibus animis concitatis vulgus, disceptans acriter, quinam Agrigentinorum infortunii culpam sustinerent quaeque faciunda essent, coepit concursus seditiosos facere. Brevi omnium civium mentes eadem perturbatione affecti erant, indeque orta est illa reipublicae Syracusanorum commutatio, quae non solum ad ipsorum, sed ad totius insulae fata summi fuit momenti.

Initio anni 406 ea erat factionum Syracusanarum condicio, ut divites patricii; qui post Hermocratis exitum populum sibi conciliaverant, plurimum valerent in re publica gerenda, atque potissimum in rebus externis adornandis, quae solae tunc commovebant animos [2]. Jam quum belli imminentis indicia in dies plura et graviora exstarent, plurimum tunc interfuit, quales crearentur duces, quorum comitiorum tum forte erat tempus [3]. Sed ea quoque in re factio illa, quamvis pacis fuisset cupidissima et inveterata invidia et suspicione a populo sejungeretur, facile quae voluit perfecit. Namque civium oculi, id quod solet fieri in civitatibus a toto populo administratis, sponte in nobiles convertebantur, qui quum auctoritate et honore et divitiis insignes essent, perse apti duces fore viderentur, idque eo magis, quod, qui ipsorum popularium antea dux fuerat, Diocles nimiam rei militaris praestiterat imperitiam. Quoniam igitur duces in contione universi populi creabantur, eos necesse erat vincere, qui eo ipso momento apud plurimos civium auctoritate pollebant. Qui tunc erant nobiles: quumque hi strenue suae factionis viros studerent provehere, accidit, ut decem duces [4], sive omnes, sive plerique, ex illa

---

[1]) Diod. XIII, 91.
[2]) Cf. p. 63.
[3]) Cf. p. 30. n. 9.
[4]) De numero vide p. 30. n. 7.

nobilium divitumque factione crearentur [1]), ita quidem, ut uni ex iis, Daphnaeo, majus tribueretur imperium, reliquique ejus legati potius viderentur esse quam collegae [2]).

Quum vero posthac duces ex hac factione creati tam male tamque infeliciter bellum gessissent, ideo totius factionis auctoritas et potentia est fracta. Illis enim ut imperium abrogaretur, omnes nunc conspirabant. Siculi fugitivi, atque maxime Agrigentini, graviter querebantur, quod Syracusani, qui praesidium et tutelam insulae affectarent se esse, eos creassent duces, qui quamquam magno cum exercitu adfuissent [3]), tamen iterum urbem sivissent barbaris committi. Populum et Hermocratis amicos, qui antea sibi inimicissimi fuerant, concordes reddebat odium in nobiles debiles et aegritudo ob bellum ignave et infeliciter gestum exorta; et quodquod praeterea erant boni et probi viri, eorum nemo non intellegebat, si nobiles aeque belli gerendi atque pacis cum externis gentibus agendi imperiti diutius principatum obtinerent, fore, ut Syracusae quoque brevi perderentur. In publico hoc odio atque metu ut ducibus imperium abrogaretur, nihil opus erat quam vir fortis, qui in contione libere et impavide de praesente rerum statu loqui auderet; atque exstitit e factione quae Hermocrati dedita fuerat juvenis quidam quinque et viginti fere annorum [4]) Dionysius, qui hoc susciperet, quum jam apud se populum adulari opportunoque tempore suis summos magistratus parare constituisset.

Patre Dionysius usus est Hermocrate quodam [5]), qui civis Syracusanus erat [6]) nec vero claro illi Hermocrati propinquus [7]). Neque nobili loco ortus erat nec genere inhonesto aut turpi: fuit unus e multitudine [8]). Puerum bona indole praeditum

---

[1]) Diod. XIII, 91. 96. Aristot. Politic. V, 4, 5; cf. quae idem V, 8, 3 de origine tyrannidis dicit.

[2]) Cf. locos allatos cum Polyaeni V, 7.

[3]) Diod. XIII, 91: »διὰ τὴν ἐκείνων παρουσίαν,« ex lect. vulg., non προδοσίαν, quod malebat Rhod. Dionysius demum proditores duces dicere ausus est.

[4]) Cic. Tusc. disp. V, 20.

[5]) Diod. XIII, 91. Polyaen. V, 2, 2.

[6]) Hoc jam inde elucet, quod Dionysius contionem frequentare magistratumque gerere poterat; cf. praeterea Val. Max. I, 1 ext. § 3 et I, 7. ext. 6 (Halm). Idem consequitur ex oratione illa alioqui Dionysio adversaria graviterque eum increpanti apud Diod. XIV, 65—69, quam nescio utrum ipse Diodorus an unus ex ejus auctoribus Theodorum Syracusanum fecerit habentem.

[7]) Diod. XIII, 96: ὁ δ'οὖν Διονύσιος εὐθέως ἔγημε κτλ.

[8]) Diod. l. l. et paullo post. Isocr. Philipp. 65—66 (πολλοστὸς ὢν Συρακουσίων κτλ. et paullo post: ἔνδοξος ἄν.) Polyb. XV, 33. (ἐκ

pater, quamvis pauper esset, tamen liberaliter, quoad potuit, educandum curavit[1]), qua re non minus quam animo sollerti summaque adversus libidines temperantia[2]) ad ea, quae volebat, assequenda adjuvabatur. Juvenis rei publicae particeps esse mox studuit aut, ut rectius dicamus, communi omnium rerum perturbationi, quae Syracusis erat, se immiscuit, secutus quidem, quum ita potissimum speraret utilitati sibi fore ingenium et educationem, Hermocratis partes. Is enim neque a popularis factionis clamatoribus neque a viris nobilitate aut divitiis potentibus, sed a dignissimis solis rem publicam administrandam esse censuerat. Caede illa, qua Hermocrates et plerique ejus amicorum perierunt, Dionysius quoque paene exstinctus est. Gravi enim vulnere afflictum amici ex communi caede servarunt, et sive adversarii eum, ut a quo nihil timendum esset, spernebant, sive eos omnino latebat, exilio, quo reliqui conspirationis participes, non multatus est[3]). Bona valetudine recuperata ad rem publicam gerendam se applicaturus coepit ab imis gradibus: scriba enim magistra-

---

δημοτικῆς καὶ ταπεινῆς ὑποθέσεως ὁρμηθείς.). Cic. Tusc. disp. V, 20. Hellad. in Phot. bibl. cod. 279 p. 1580 ed. Rothomag. (p. 866 ed. Hoeschel.) magis discrepat dicens: ὀνηλάτου μὲν υἱὸς Διονύσιος ἦν, quem nuntium verissimum esse judicavit Wessel. in annot. ad Diod. XIII, 96. Sed is non consideravit fieri non potuisse, quin asinarii filius tam liberaliter educaretur, quam Dionysius est educatus. (vide not. seq.) Quum non scribam Dionysii vitam, hic quoque ea tantum afferam, quae, ut rerum causae et nexus atque Dionysii mores et consilia recte intellegantur, necessaria sunt. Illud tamen addam, videri mihi eum nuntium, quem postremo loco commemoravi, ex eodem fonte emanasse, unde tam multa profecta sunt Dionysii convicia, quorum de mendositate non potest dubitari. Atque haec convicia omnia fere iis, quae contra Agathoclem sunt blatterata, tam sunt similia atque adeo congrua, ut sponte suspicio oriatur, ea consilio a Timaeo esse ficta et propagata.

[1]) Hoc quamquam nemo disertis verbis testatus est, tamen et e consuetudine eruditissimorum virorum, Hermocratis, Philisti, Hipparini et ex ipsius litterarum artiumque studiis, quae postea coluit, v. c. medicinae (Ael. var. hist. XI, 11), historiae (Suid. s. v. Διονύσιος) et maxime poesis (Diod. XIV, 109. XV, 6. 7. Athen. I. c. 6. p. 7 ed. Schweigh.; cf. alios locos a Niehuesio l. l. p. 73 congestos), quamquam primaria eorum causa fuerit gloriae cupiditas, et ex machinis navibusque, quas aptiores et meliores reddidit, manifesto apparet, non posse eum e milite rudi et simplici tyrannum factum esse, sed usum esse in pueritia bona educatione.

[2]) Cic. Tusc. disp. V, 20. Nep. de regg. 2. Ael. var. hist. XIII, 10.

[3]) Diod. XIII, 75. Marmor Parium l. 63. eo anno (408) Dionysium tyrannum factum esse refert, quod reliquis omnibus totius antiquitatis testimoniis (cf. infra p. 88 n. 1.) refragatur. Sed Plassius (Tyrannis II p. 206 n. 2) jam recte animadvertit, in marmore initium tyrannidis confusum esse cum eo anno, quo primum Dionysius publice innotuit.

tuum est factus [1]). Sed ex hac ipsa re magna in posterum commoda percepit: cognovit enim rei publicae administrandae rationes, summorum virorum ingenia moresque nec minus imperatorum consilia et dispositiones, adeo ut horum ignaviam atque imbecillitatem, plenam denique inertiam penitus perspiceret. Qua vitae condicione in bellum profecto mox ante Agrigentum occasio oblata est, qua fortitudinis et audaciae adversus hostes specimen luculentum edidit, ut jam multorum in sese converteret oculos [2]). Jam quum iis, penes quos tunc summa potentia erat, longe se videret ingenio superiorem, his sublatis amplissimorum in re publica honorum in semet ipsum amicosque suos conferendorum necesse fuit consilium caperet. Quamquam nec facile id, nec sueto more usitatisque subsidiis assequi poterat. Nam a factione sua, quae tunc nec numero nec viribus vigebat, haud ita adjuvari poterat; iis autem, qui jam tum sola dominatione civitatem servari posse intellegebant, praeterquam quod admodum pauci erant, etiam summa diligentia fuit cavendum, ne quam talium sententiarum consiliorumve apud plebem excitarent contra se suspicionem. Plurimum turbulentis post Agrigentum expugnatum seditiosisque temporibus popularium factio valebat, quippe cujus in contionibus plurima essent suffragia. Itaque hos sequi vel certe id simulare et populi amicum agere apud se constituit [3]) primumque ducibus imperio abrogando, quid valeret, experiri, praesertim quum ea, quae tunc erat, populi voluntate id ipsum postulari videretur.

Quum igitur prima post exercitus reditum contio Syracusis ad deliberandum de reipublicae condicione haberetur omnesque tacerent, quamvis antea in conventibus nemo non habuisset quod loqueretur et quereretur: surrexit Dionysius idque duces accusavit, quod nemo antea ausus erat palam profiteri, crimine

---

[1]) Diod. XIII, 96. XIV, 66. Polyaen. V, 2, 2 Dem. in Lept. pag. 506: οὐδὲ γ' ἴσως Συρακόσιοι (ἤλπισαν) .... ὑφ' ἑνὸς γραμματέως, ὃς ὑπηρέτης ἦν, ὥς φασιν, τυραννήσεσθαι, quem locum Voemelius § 161 n. 16 (p. 184) jure corruptum esse putat. Num hoc munus, humile sane, turpe aliquid habuerit, id quod Wess. ad Diod. XIII, 96 autumat, jure mihi videtur dubitari posse. Certe id haud nullius momenti nec magis nullius laboris fuisse intellegemus, si reputaverimus, quum jam non solis e civibus, ut antea, delectus fieret brevesque tantum expeditiones susciperentur, sed magna mercenariorum copia cogeretur, non simplicem fuisse totius exercitus curam nec carere potuisse viris sollertibus et gnavis.

[2]) Diod. XIII, 92.

[3]) Diod. XIII, 91. Eum non ad popularem factionem re vera transiisse, non opus puto comprobari.

proditionis[1]). Sane quidem viam nimis tritam videri poterat persequi, quippe quum ubicunque aliquid haud ex sententia populi gestum erat, confestim omnes uno ore corruptos imperatores fuisse conclamarent[2]). Sic Agrigenti suspicio plebis excitata fuerat, atque Dionysii agendi ratio sane poterat harum accusationum imitatio tantum videri. Sed tamen res hic prorsus aliter sese habebant. Haud enim ignorabat populus eum esse accusatorem, qui ipse continua ducum consuetudine usus omnia eorum secreta cognovisset. Quum vero quam attente cupideque populus perciperet verba sua animadvertisset, non solum ut statim ducibus imperium exueretur diesque diceretur poposcit, verum multitudinis animos ad vim seditionemque excitare ausus est. Suasit enim, ut extemplo poena repeteretur a proditoribus. Tum vero magistratus ab eo, ut qui tumultus cieret, multam exegerunt. At Philistus, juvenis ditissimus, poena pro eo soluta exhortatur ut pergeret, simul omnes suas opes offerens, si novae multae ei irrogarentur[3]). Erat enim e numero eorum, qui civitatem servari non posse arbitrarentur, nisi duces imbecilles imperio destituti, populi nimia potentia deminuta, denique aut dictator creatus aut tyrannus rerum potibus esset[4]). Alii quoque viri, etiam aetate jam

---

[1]) Polyaen. V, 2, 2. Diod. XIII, 91.

[2]) Crebrae hae accusationes sunt apud Diodorum XIII, 87. 88. 91 93. 94. 95.

[3]) Hae res certe non prorsus ita, ut ego narravi, apud Diod. XIII, 91 leguntur. Sed si Dionysius in contione rogavit, ut duces statim imperio exuerentur, hoc nec erat contra leges nec potuit ideo multari. Hermocrates quoque cum collegis temporibus prioribus bis munere privatus erat, atque prius neque ab adversariis tantum nec contra leges. Porro si Dionysius rogaverat, ut die dicta et secundum leges et a judicibus legitimis duces poena afficerentur, ne ideo quidem magistratus eum multare poterant (cf. supra p. 28). Praeterea jam saepius oratores haud parce conviciatos esse animadvertimus, cf. orat. Athen. ap. Thuc. VI, 36—40. Certe igitur eo leges violaverat, quod suadebat, ut, quo modo Agrigentini, eodem populus ipse extemplo supplicio duces afficeiret: ἐκ χειρὸς εὐθέως ἐπιθεῖναι τὴν δίκην. Verba ἐκ χειρὸς et εὐθέως, quae alioqui idem fere significant, non memini alias a Diodori conjunctim posita esse. Quid autem sit ἐκ χειρὸς ἐπιθεῖναι τὴν δίκην, etiam omisso vocabulo εὐθέως, manifesto apparet ex iis, quae Diod. XIX, 6 refert. Etiam confirmari videtur conjectura mea a Platone (epist. VIII, p. 354 d), qui Syracusanos decem duces l a p i d i b u s interfecisse narrat. Grotius sane l. l. pag. 656 n. 114 Platonem Syracusanorum acta confudisse statuit cum iis, quae paullo ante gesta erant Agrigenti; equidem vero, id quod ad hanc rem aptius et proclivius est, cum ipso facinore Platonem confudisse suspicor Dionysii irritationes, quibus illud efficere voluit nec tamen effecit.

[4]) Diod. l. l. Philistus ex animi sententia regno favebat, ideoque

provecti, juvenem impavidum defendebant; quid quod homo nobilis et prodigus, Hipparinus, qui et natu et vitae ratione nobilium factioni videbatur addictus esse, eum tuebatur [1])? Quare fieri non potuit, quin multitudo irata, cujus animos tantorum virorum auctoritas Dionysio etiam magis conciliabat, clamoribus eum exhortaretur, ut etiam invitis magistratibus pergeret [2]). Pergit igitur eo confidentius »non solos duces, sed addictos eorum factioni omnes proditores esse, atque praesentibus civium angustiis utentes, statu populari sublato, in paucorum ipsorum commodum rempublicam gerere velle [3]). Quare creandos esse homines ignobiles quidem, sed puris moribus consiliisque, qui propter imbecillitatem nihil contra leges possent audere.« Qua oratione contio permota statim duces imperio exuit novosque creavit (mense decembri a. 406): quo in numero quod ipse Dionysius erat, mirum esse non potest, quippe honestissimus vir dignus, cui populus plenam fidem haberet, nec minus par videbatur esse muneri tam difficili [4]). Jam igitur Dionysius fieri posse intellegebat, ut etiam plura assequeretur, modo efficeret, ut populus etiam minus semet carere posset, compararetque propriam sibi factionem, cui, etiamsi aliquando alio aura popularis declinasset, posset confidere. Illud eo consecutus est, quod constanter se soli reipublicae commodo prospicere simulabat, collegarum autem consuetudinem omnino evitabat atque adeo rumoribus de proditione, quam illi quoque in animo volutarent, dispersis multitudini persuadere studebat, se unum honestum, unum populo amicum esse. Et quamvis ea factio, cujus principes modo perdiderat, eum penitus perspiceret, in conventibus suis consilia contra eum caperet, populumque, ut caveret, rogaret: vulgus tamen quasi occaecatum adjuvit etiam eum in iis quae volebat perficiendis. Quum enim in una e multis, quae belli parandi causa tunc convocabantur, contionibus Dionysius rogationem proposuisset, ut cives pristinarum factionum rixarumque obliti expulsis Her-

---

Dionysium illud affectantem adjuvabat; cf. supra p. 7. Idem judicat Niebuhrius III, p. 212, Ciceroni eum hanc ob rem comparans.

[1]) Hipparinus nobili loco ortus erat, cf. Diod. XVI, 6. Plut. Dion. 3. Arist. Politic. V, 5, 6.

[2]) Multa ab iis, qui contioni praeerant, imposita etiam contionandi jure privatum esse Dionysium, non est verisimile; praeterea multitudinem, turbulentis praecipue in contionibus, saepe praesidentium voluntatem, qui alicui loquendi potestatem fecissent, irritam reddidisse, sequitur ex Diod. XIII, 19. Quare hic contrarium quoque statui potest.

[3]) Diod. XIII, 91. cf. Aristot. Politic. V, 4, 5. V, 8, 3—4.

[4]) Diod. XIII, 92. Convocata et contio statim post exercitus reditum; Agrigentum vero brevi ante solstitium hibernum proditum est.

mocratis amicis [1]) veniam in patriam redeundi darent, populus nullo collegarum obloquente vel praemonente, ut sibi caveret, etiam id permisit. Illi autem viri partim odio adversariorum, a quibus in exilium missi erant, partim gratia erga Dionysium, quem nunc factionis suae principem ducebant, ei omnino erant dediti [2]).

Paullo post accidit, ut populi jussu Gelam mitteretur. Cujus urbis civitas metu quam maxime commota et perturbata erat, quum proxime ab Agrigento, ubi hostes morabantur, abesset nec bene munita esset. Accedit quod Dexippi mercenarii, qui jussu Syracusanorum ad urbem tuendam ibi remanserant, se profecturos minarentur, quum merces, de qua convenerat, solvi non posset. Jure ob eam rem vulgus divites nobilesque cives accusabat, qui hic, ut paullo ante Agrigenti et a. 407/6 ipsis Syracusis, in republica gerenda plurimum valebant, graviterque querebatur, eos praesidium urbis neglegere. Quum igitur Syracusis factio divitum potentia exuta esset, propter artam conjunctionem, quae erat inter Syracusanos et Gelenses, fieri non potuit, quin hic quoque popularis factio adversarios superaret. Conspiravit enim clam cum ea, quae Syracusis erat, atque Dionysius probatus ille populi amicus electus est, qui Gelae seditionem concitaret [3]). Ubi cum quadringentis equitibus peditumque duobus milibus Gelam pervenit, statim in contione divites incusavit atque nescio quo praetextu usus, ut capitis damnarentur, supplicio afficerentur, bona eorum publicarentur, perfecit. Tali modo quum sibi opes Gelensium mercenariis debitae mercedis solvendae comparasset suisque copiis promitteret, duplicem se mercedem soluturum, majorem in dies fortium et atrocium virorum numerum sibi conciliavit. Nec non effecit, ut popularis factio Gelensis merita sua de libertate civium et de reipublicae salute legatione missa Syracusis praedicaret auctoritatemque suam et opes ita augeret. Solum

---

[1]) Diod. XIII, 92. Cives intestinis seditionibus expulsi qui ut revocarentur, Dionysius rogavit, secundum rerum nexum alii esse non possunt, nisi Hermocratis amici, qui a. 408 in exilium missi erant. Nam e factione divitum nobiliumque nemo omnino exilium subierat; pauperes autem de vulgo homines, quos forte una cum Diocle ex urbe expulsos suspiceris, quamquam is secundum Diod. XIII, 75 solus exilio multatus est, ideo nequeunt intellegi, quod bona eorum, quae se recuperaturos confidebant, publicata esse dicuntur, quodque non sine labore quodam Dionysius quae volebat, impetravit.

[2]) Diod. l. l.

[3]) Diod. XIII, 93. Quod Dionysius popularium quasi patronus potissimum eligebatur, quod omnia tam celeriter et facile conficiebantur, quod epistola mittebatur, quae Syracusanorum populo i. e. factioni populari gratias ageret, omnia haec sententiae meae favent.

Dexippum sibi consiliisque suis adjuvandis conciliare non potuit. Is enim homo, quamvis fidem probitatemque non nosset et pecuniam solam sectaretur, ideoque Gelae, ut Agrigenti, divitum factioni se addixisset, tamen invidia et ambitione permotus Dionysiumque, quem sui similem opinabatur, spernens, forte etiam omnino vulgum ejusque amicos exosus, omnia quae ille proponebat, repudiavit. Atque primum necesse erat Dionysius eum Gelae relinqui pateretur, quum ejus mercenarios ipse conducere nondum posset; sed jam apud se constituerat eum quam primum dimittere[1]). Deinde totum Syracusanorum exercitum sese paraturum paratumque Gelam ducturum simulans domum rediit[2]).

Atque ita rem instituit, ut adveniret in urbem, quum magna multitudo concitatis animis e theatro proflueret. Quae quum curiosa euntem circumdaret quaereretque, quomodo Gelae res constitutae essent et quid gererent hostes, »hostes patriae periculosissimos urbis magistratus suosque ipsius collegas esse dixit. Quum enim Poeni ingens bellum strenue pararent jamque Syracusas profecturi essent, illos populum de periculo celare, fiducia et securitate decipere, urbis praesidium munitionemque prorsus neglegere. Atque eo ipso tempore ludos eos edidisse publicos, ut mobilem auram popularem sibi conservarent amicam, atque ita opes reipublicae nugis impendere, copiis vero non solvere mercedem. At jam se bene scire, consulto omnia fieri; conatum enim Himilconem etiam ipsum corrumpere, ut aut illorum proditionis particeps fieret aut certe, quae illi facerent, ne irrita redderet. Verum enimvero semet ipsum patriam non esse proditurum, redire igitur eo consilio, ut imperio sese abdicaret.« Dici non potest, quantopere his verbis omnium animi concitati fuerint; non solum magistratus, sed singuli quoque ad unum omnes jure se vituperatos sentiebant, quum et ipsi leves periculorumque imminentium incuriosi voluptates sectati essent, sollicitique domum abierunt. Exercitus autem denuo cognoverat semper Dionysiam militibus prospicere. Jam ejus amicis omnium virium contentione allaborandum erat, ut reliquis ducibus summotis populiscito ad eum unum imperium plenum deferretur. Simul atque enim per legem exercitus imperator solus factus esset, vi, si oporteret, facile adversarios opprimi posse sciebant. Quum igitur postero die contio convocata esset in eaque Dionysius illas accusationes repetiisset, amici ejus rogationem tulerunt,

---

[1]) Hoc inde elucet, quod Dionysius tyrannide vix potitus confestim eum cedere Gela coëgit.

[2]) Diod. l. l.

ut ei, utpote qui solus fide dignus esset, quasi quaedam dictatura tribueretur. Imperio multorum urbem servari non posse, ubique temporibus illis bellicis satis apparuerat; similia monebant bello Atheniensium accidisse, quin Gelonis faciebant mentionem optime de re publica meriti, cujus mite et bonum regnum populus maxime etiam tum bene reminiscebatur, qui Carthaginienses ingenti illa clade affecerat, praesentemque rerum statum cum eo, qui tunc fuerat, comparabant[1]). Quibus rebus populus deceptus Dionysiusque populiscito imperator sine collega creatus est[2]). Ducum vero suspectorum causam agendam ejus amici consulto et in posterum et in contionem[3]) distulerunt, deficere nunc tempus praetexentes. Quippe facile fieri poterat, ut et paucissimos viros et eos levissime tantum peccasse appareret, quare Dionysii fides et auctoritas apud populum vehementer labefactata esset. Postea vero, si haud ita magnam fuisse culpam illorum intellegebatur, Dionysii potentia jam firmata erat, praeterea magis tunc judicum animi vi et minis flecti poterant. Primum igitur rogationem ad populum tulit, ut merces duplex militibus solveretur, quod sese perfecturum jam Gelae promiserat. Quod si populus decrevisset, majorem fore copiarum et fortitudinem et voluntatem, numerum quoque mercenariorum certe auctum iri; pecuniam vero, qua opus esset, haud ita difficile fore comparatu. Etiam hoc decretum.

Quum igitur Dionysio omnia e sententia cederent, interea multi e factione populari[4]) omnia ea, quae tam rapide modo in Dionysium contulerant, iterum atque accuratius considerare coeperunt, atque propter nimium hostium timorem immodi-

---

1) Diod. XIII, 94. Cf. verba Dionis apud Plut. Dion. c. 5, qui, quum Dionysius quondam verbis ludens Gelonem γέλωτα Siculorum appellasset, respondit: »καὶ μὴν σὺ τυρρανεῖς διὰ Γέλωνα πιστευθείς.« Etiam ex oratione Theodori (apud Diod. XIV, 66.) colligi potest, solitos fuisse quosdam Dionysium Geloni exaequare et dictitare, utrumque eandem agendi rationem secutum esse.

2) Diod. XIII, 94. A quo dissentientes Plato (epist. VIII. p. 353. a. b.) et Plutarchus (Dion. c. 3.) narrant Hipparinum Dionysii collegam fuisse. Sed a contione Hipparinum Dionysii collegam factum nescio num statui possit; quamquam non negaverim primis potissimum temporibus Dionysium Hipparini natu majoris consiliis sua sponte usum fuisse, quum pauci tantum viri periti cum eo facerent, qui et fidi essent et valerent aliquid in re publica.

3) De legitimo judicio cf. supra p. 28. n. 6.

4) Diod. XIII, 95: οὐκ ὀλίγοι τῶν Συρακοσίων κατηγόρουν τῶν πραχθέντων. Divites nobilesque intellegi non possunt, quum hi Dionysii consilia jam antea perspexerint: praeterea Diodorus paullo infra pergit: ὁ δὲ Διονύσιος τὴν μετάνοιαν τῶν ὄχλων φθάσαι βουλόμενος.

camque privatae libertatis cupiditatem deceptos et emunctos sese esse intellegebant. Etiam ex iis, qui antea Hermocratis, tunc ipsius Dionysii factioni addicti erant — ut de nobilibus taceam — nescio an haud pauci eum majora justo petere jam fremuerint [1]). Quare Dionysius, cum talia non latebant, civium poenitentiam et mutationem aurae popularis praevertere studebat, ut potentiam suam etiam contra leges contraque populi voluntatem tueri posset. Atque de modo ac ratione non dubitabat: bene enim historiae gnarus constituit imitari Pisistratum. Quum autem fraudem ejus in ipsa urbe repeti non posse putaret, veritus, ne, si non assequeretur quae vellet, omnino perderetur, edixit, ut, quisquis Syracusanorum arma ferre posset et quadragesimum aetatis annum nondum excessisset, ad bellum paratus Leontinos se conferret. Multa hac re assequebatur: quisquis enim de expeditione, quae quid sibi vellet omnino perspici non poterat, praesertim quum media hieme atque in regionem hostibus plane contrariam susciperetur, suspicionem habebat neque obsequebatur, ab eo contumaciae poena exigi poterat. Qui vero obsequebantur quidem, sed mente non ea erant, cui fidere posset, ii facile in castellum nescio quod removebantur, unde nocere nequirent. Factionis autem suae et multitudinis facile decipiendae ope [2]) si impetum clam in se factum simulasset, se effecturum sperabat, ut custodes corporis sibi permitterentur; quod postea dici poterat ex populiscito factum esse. Quum igitur prope Leontinos in castris noctem degeret, subito impetum in se factum fingens ingenti clamore in arcem confugit, fidissimis militum se sequi jussis. Postridie mane ante multitudinem perterritam querebatur, continuo se in summo periculo versari, rogavitque, ut si diutius se munere suo cum aliquo eventu fungi eaque quae populus decrevisset exsequi vellent, corporis custodes ex arbitrio suo eligendos sibi permitterent. Atque quamvis adversarii obloquerentur, etiam de numero satellitum, tamen ad extremum perfecit, ut sexcentos cives [3]) sibi liceret eligere, qui sibi soli parerent suumque corpus deberent tegere. Statim autem hoc decretum excessit, quum — id quod nescio an ab initio voluerit — non sexcentos sed amplius mille delegeret eosque omnes viros egenos audacesque, qui splendidis pollicitationibus facile ad quidvis patrandum permoveri poterant [4]).

---

[1]) Cf. infra p. 89. n. 2.

[2]) Etiam superstitione multitudinis, sacerdotibus vatibusque largitione corruptis, in via videtur abusus esse; cf. Cic. de div. I c. 33. § 73. Ael. var. hist. XII, 46. Plin. hist. nat. VIII, 64.

[3]) Diod. XIII, 95. cf. Arist. Politic. III, 10, 10.

[4]) Diod. XIII, 96.

Atque tunc primum Dionysius ne speciem quidem legis violatae evitare studuit: ab eo inde mense — qui fuit Januarius anni 405 — ut tyrannus egit atque publice tyrannum professus est [1]).

---

[1]) Dionysius tyrannus exstitit Athenis archonte Callia (cf. Diod. XIII, 80 sq. Dion. Hal. ant. Rom. VII, p. 1313 R.), postquam Himilco Agrigento potitus est, quod accidit decembri a. 406 (cf. Diod. XIII, 91—96), sed antequam idem Himilco Gelam coepit obsidere; coepit autem medio fere Julio a. 405 (cf. Diod. XIII, 108 sq. et Wessel. annot. ad h. l. et Clint. fast. Hell. ed. Krueg. a. 332 et quae ego de hac re infra p. 92. sub 5. annotavi). Idem tempus colligitur ex iis, quae Diod. XI, 68. extr. jam prodidit, atque ex iis, quae de ejus tyrannidis spatio mortisque anno traduntur. Obiit enim Nausigene archonte paullo post Lenaea vere a. 367 in Attica celebrata (Diod. XV, 71. 73. 74. Marm. Par. l. 75. cf. Clint. ad a. 367), postquam duodequadraginta annos regnavit (Diod. XIII, 96. XV, 73. Cic. Tusc. disp. V, 20. Hellad. in Phot. bibl. cod. 270 p. 1580, ed. Rothom.). Alium ad annum initium tyrannidis per errorem relatum esse in marm. Par. l. 63. jam annotavi cf. p. 80. n. 3. Accuratiora quaedam Plut. symp. VIII, 1 secundum Timaeum prodidit: Εὐριπίδου . . . ἡμέρᾳ ἀποθανόντος καθ' ἣν ἐγεννήθη Διονύσιος ὁ πρεσβύτερος τῶν ἐν Σικελίᾳ τυράννων ἅμα τῆς τύχης, ὡς Τίμαιος ἔφη κτλ. (De voce ἐγεννήθη cf. Wess. annot. ad Diod. XIII, 103 et Plassium l. l. II, p. 206. n. 2.) Atque etsi fortasse de certo illo die dubitabimus, sequitur tamen in universum eodem tempore duas illas res evenisse. Euripides quando mortuus sit constat. Nam modo eum decessisse, quum Aristophanis »Ranae« Lenaeis a. 405 (cf. argum Ran.: ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος τοῦ μετὰ 'Αντιγένη ἐπὶ Ληναίῳ) docerentur, cognoscitur ex hac ipsa fabula. maxime e vers. 67—78. Quum igitur Lenaea secundum Boeckhium mense Januario acta sint, Dionysii quoque tyrannidis initium in hunc mensem fere incidisse apparet, fortasse sub finem, vel in mensem sequentem. Quod bene congruit cum iis, quae Diodorus refert, quum Dionysius tempore hiberni a. 406 solstitii unus e decem imperatoribus, dein post seditionem Gelae excitatam dictator, denique post expeditionem Leontinos susceptam tyrannus sit factus. Attamen inventus est, qui aliter statueret, Aem. Muellerus, quum sane haud parvam computationis suae partem labefactatam videret, nisi Dionysius auctumno domum a. 405 tyrannide potitus esset. Quibus documentis et causis id nobis comprobare studeat, nunc audias. Citato Xenophonteo loco (Hell. II, 2, 24.) »Xenophontem«, inquit, »recte et accurate tyrannidem ad a. 27. (405/4) retulisse, vel inde colligas, quod addit, Dionysium tyrannidem occupasse media anni parte, hoc est circiter auctumnum 405.« (Cf. l. l. p. 47.) Quid quod idem Muellerus p. 49 disertis verbis hunc Xenophonteum locum ob elocutionem parum elegantem spurium esse contendit? Sed ut prima ejus loci verba fortasse genuina esse velit, tamen Justinus, quem Xenophontis loco suspecto suffragari affirmat, initium tyrannidis Dionysii prorsus nullo modo ad Alexiae annum (405/4) retulit. Is enim libr. V, 8 narraverat: »Insignis hic annus expugnatione Athenarum et morte Darei et exilio Dionysii Siciliae tyranni fuit.« Offendimur sane verbo »exilio,« quod apposito vocabulo »sic!« nunc Muellero idem valet atque »initio tyrannidis.« Sed de hoc Justini loco optime Jeepius in comment. crit. p. 34 »causa erroris,« inquit, »sive Trogo, sive Justino debetur, in am-

Sed priusquam Syracusas rediret, pluribus etiam rebus securitati suae prospexit. Mercenariis omnibus modis favebat, quotquot nancisci poterat, cogebat, etiam eos, qui Gelae versabantur, arcessebat, nec vero civitati, sed sibi ipsi eos sacramento obstrinxit. Civium quisquis non satis certus videbatur, ob patriae salutem vel alium nescio quem praetextum aut in castellum aliquod ablegabatur aut loco suo movebatur; taxiarchi lochagique ii tantam fiebant, quibus omnino confidere poterat; etiam Dexippus jam in Graeciam remissus est. Quibus rebus peractis jam Syracusas tyrannus redire poterat, quamvis multi, qui antea ei faverant, ea re minime contenti essent. Atque cum nobilibus in gratiam redire omnino non poterat; Hermocrataeorum autem amicitiam aut servare, aut jam amissam recuperare se posse sperabat. Qua de causa Hermocratis filiam in matrimonium duxit suamque sororem Thestam [1]) Polyxeno, illius avuncudo, nubere coëgit, eo consilio ut quasi heredem magni illius viri sese commendaret. Nobilium autem principes, Daphnaeum et Demarchum, qui acerrime ei repugnaverant, supplicio affecit convocata antea per speciem contione, qua videntur damnati esse [2]).

---

biguitate vocis φυγή (fuga) quaerenda.« Dionysii vero »ex acie fugam« non referemus cum Jeepio ad res a. 405 gestas, sed Justini narrationem secuti ad res potius anni 404, quo tyrannus et fuga salutem petivit et exilio multatus est, hoc vero non subiit ob calliditatem suam (Diod. XIV, 7—10). Denique Aem. Muellerus Dionysium non subito, sed compluribus quasi gradibus ad tyrannidem pervenisse recte p. 48. statuit; quos quidem gradus Grotium secutus quum enumerasset, tot ac tantas res tribus mensibus absolvi potuisse, sibi persuadere non potest. Cur non? Nec Leontini nec Gela nec Camarina Syracusis tantum aberant, ut bidui viam emensus eo non advenias (Diod. XIII, 113), nec res, quas Dionysius perfecit, tam diuturnae erant, ut ad singulas conficiendas novem mensibus opus fuisset. Sane, qui Himilconem Agrigenti per duodeviginti fere menses otium cum dignitate sectatum esse credit (p. 49), quod idem etiam haec statuerit, non miraberis. Rerum vero publicarum mutationes, quum hostes ante portas, civium animi perturbati sunt, brevi temporis intervallo perficiuntur: cujus rei luculentissima exempla quum omnium, tum horum temporum historia praebet satis multa. Sed ne longus sim, Gelae ipsius obsidio, quae certissime mensi Julio a. 405 attribuenda est (cf. p. 92. n. 5), nos prohibet, quominus tyrannidis initium in auctumnum a. 405 incidisse statuamus. Habes igitur, quid Xenophonteo loco credendum sit.

[1]) Diod. XIII, 96. Nomen tradidit Plut. Dion. 21.

[2]) Quinam tunc fuerit internus Syracusarum status, quae civitatis factiones, quae Dionysii cum iis condicio, id quotquot de hac historiae Siculae parte scripserunt, aliter alii constituerunt, et ego quoque aliter; quare ut aliquatenus certe perspiceretur, quomodo omnia inter se cohaererent et continuata essent, paullo accuratius et diligentius de his rebus mihi exponendum esse putavi: qua in re praeclare adjutus sum Diodori narratione, quam h. l. clariorem esse, quam alias etiam

Dionysius postquam hoc modo prima necdum satis firma[1]) tyrannidis fundamenta jecit, inprimis operam dedit, ut majorem eumque perpetuum exercitum, sibi soli deditum, pararet, quo fretus non solum imperium suum conservaret, sed etiam civium manus ex singulis urbibus congestas in bellis cum barbaris gerendis magis confirmaret. Ingruente enim mercenariorum conducendorum more tota ratio rei militaris mutata est. Antea enim singulae urbes Graecae atque interdum etiam Carthaginienses unum tantum ad bellum alienos milites conduxerant expeditisque iis plerumque usi cives ipsos gravi armatura indutos in honestissimo et periculosissimo aciei loco posuerant. Sed ex quo non barbari tantum, verum etiam Graeci[2]),

---

Grotius miratus est. Illud quidem inter omnes constat Dionysium, quum Hermocratis filiam in matrimonium duceret, non minus quam postea, ubi duas simul uxores duxit, certum aliquod consectatum esse; nec vero, quid potissimum id fuerit, satis constat. Neque enim verisimile est, quod Grotius p. 663 opinatur, eum originis suae ignobilitatem dumtaxat obducere voluisse et victoriam Hermocrataeorum concelebrare; immo procul dubio potentiam suam, infirmam etiam nec satis munitam, hoc quasi praesidio fulcire in animo habuit, quod Diodorus quoque XIII, 96 disertis verbis dicit. Idem viderunt Plassius et Niehuesius: atque ille quidem l. l. p. 207 eum ideo matrimonium illud contraxisse, ut etiam veterum nobiliumque familiarum gratiam iniret. Niehuesius autem p. 14 sq. n. 32 postquam Hermocratem non recte ducem nobilium nominavit, pergit: »Sed conjugium, quod iniit cum Hermocratis filia, nihil demonstrat, nisi Dionysium hac affinitate illos quoque, quos nobilium fautores sibique propter studium plebis adversarios esse sciebat, reconciliare voluisse.« Sed horum neuter ejus rei rationem habuit, quod Dionysius eodem tempore, quo Hermocratis filiam matrimonio sibi conjunxit, non Demarchum solum, sed etiam Daphnaeum, quem nobilium divitumque principem fuisse omnes tradiderunt, supplicio affecit, et quod ipsi nobiles postea Hermocratis filiam dedecorarunt (Diod. XIII, 112. Plut. Dion. 3.). Quodsi cum his familiaritatem inire voluisset, certe aliter res instituenda erat. Huc adde, quod vel maxime eo offendimur, quod statim, postquam Leontinis rediit, et brevi ante imminentia nova proelia, Hermocratis potissimum filiam in matrimonium duxit. Quare errare non videor, quum jam eorum, qui antea ejus amici fuerant, non paucos ab eo alienos fuisse statuam. Videtur igitur cum Hermocrataeis in gratiam sese restituere voluisse, ut hi sibi, praesertim absenti, praesidio essent; idque eo facilius sperare poterat sese assecuturum, quum ipsi quoque rem publicam moderate a singulis, modo dignis viris, administratam bellicis temporibus praeferrent, quam ut populi potestas ad furorem multitudinis licentiamque converteretur. Offenderat autem eos partim quod factionem popularem nimis provexerat, maxime vero eo, quod ipse omnes ultra fines erat progressus.

[1]) Id elucet etiam e Plut. Dion. 3: »οὔπω τῆς τυραννίδος ἱδρυμένης βεβαίως.«

[2]) Non solum in oriente, praecipue in Asia, exeunte bello Peloponnesiaco permultos Graecos mercenarios videmus, sed in Sicilia quoque

quum lucri causa stipendia coepissent merere, propter solitam mortis contemptionem reique militaris usum a populis bella gerentibus, atque his in regionibus occidentalibus praecipue a Poenis, multum arcessiti et cuique pecunias sat magnas offerenti facile obsecuti haud nihil in pugnis ad decertandum conferebant: ne Dionysius quidem carere iis potuit, praesertim quum bona pars Syracusanorum quae vel maxime arma ferre poterat, in castella ablegata esset. Quapropter mercenariis quam plurimis conduci jussis, Graecorum barbarorumque discrimine non facto, e maxima parte propriam composuit turmam; reliquos singulis exercitus civilis partibus inserere non dubitabat, ut ibi et animum civium coërcerent et propter disciplinam experientiamque in pugna his exemplo essent et praesidio[1]). Nec vero maritimas Syracusanorum opes augere omisit, qua in re nec operae nec pecuniae pepercit, ut majorem classem pararet[2]). Tum circa Graecos Italos et socios in Sicilia habitantes missis qui auxilium peterent, exspectavit, quaenam eventura essent; Syracusis enim apud se constituerat non egredi, priusquam exercitum quam maximum coëgisset et certius aliquid de Himilconis consiliis comperisset[3]).

Sed is quoque diu admodum cunctatus est, antequam rursus inciperet bellum. Sive enim nondum satis praeparatus erat ad tantam urbem obsidendam, quanta erant Syracusae, et commeatum exspectabat, qui vastatis tempore belli fertilissimis Siciliae regionibus e Sardinia plerumque repetendus erat[4]), sive de rerum commutatione, quae Syracusis acciderat, certior factus tyranni juvenis impetum sperabat: ineunte demum aestate Agrigento deleto orientem versus profectus est. Agros circa Gelam et Camarinam, quae erant solae urbes Graecae paullo majores ante Syracusas, devastavit: longius vero Syra-

---

Poenorum pecunia adeo occaecati sunt, ut apud crudeles hos nationis suae hostes stipendia mererent; cf. Diod. XIII, 58. XIV, 53.

[1]) Num mercenarii jam tum ad numerum decem milium aucti essent (cf. Diod XIV, 78. 95), dubium est; quodsi ex iis manus singularis composita, alii civium exercitui inserti (Diod. XIII, 109), alii Syracusarum praesidio relicti sunt (Diod. XIII, 112), multo minores fuisse non possunt.

[2]) In universum Dionysius Syracusarum situ et Poenorum aemulatione magnam ac bene instructam classem postulari haud ignorabat neque unquam augere et melius comparare eam omisit cf. Diod. XIV, 42. XV, 13.

[3]) Diod. XIII, 109. Cur Dionysius ante Julium mensem non profectus sit, intellegemus, si delectuum apparatuumque magnitudinem, tarditatem sociorum, metum denique, ne statim ineunte vere Poeni Syracusas terra marique oppugnarent, respexerimus.

[4]) Diod. XIV, 63. 77.

cusas versus non progressus est, quamquam quin id faceret, nihil prorsus obstabat [1]). Manifestum igitur erat, Himilconem nihil velle nisi terram cognoscere et Dionysium, cujus exercitum numero longe inferiorem facile pugna se victurum et fortasse etiam devicturum putabat, Syracusis elicere. Quodsi ita Graecorum opes et animi iterum hoc anno fracti essent, obsidionem Syracusarum, satis periculosam, cum majoris eventus spe sibi videbatur subire posse, quam Athenienses, quorum calamitatis recens adhuc erat memoria. Regressus igitur prope Gelam a meridionali urbis parte ad fluvium cognominem castra posuit [2]), tota silva caesa et ablata magna Apollinis statua extra urbem collocata [3]). Eae castrorum partes, quae interiorem insulam spectabant, fossa munitae sunt, maritima autem ora sine munitione remansit [4]). Deinde, exeunte fere mense Julio [5]), urbem oppugnare coepit, neque vero impetu solito

---

[1]) Diod. XIII, 108

[2]) Nieh. l. l. p. 18 castra ab occidentali urbis parte fuisse putat; Ph. Cluver. l. l. p. 105 dicit: »Carthaginiensibus ab altera parte, quae in occidentem versa est brumalem, itidem in litore (?) castra sua habentibus.« Quod si verum esset, tum classis Syracusana pugnae particeps fieri Italorumque receptui praesidio esse non poterat.

[3]) Tyriis eam donavit, quare elucet etiam illis temporibus Carthaginienses patriam suam cum pietate coluisse; cf. Mus. Rhenan. v. XV. (1860) p. 395 et 448.

[4]) Diod. XIII, 110.

[5]) Diod. XIII, 108; cf. Wess. annot. ad h. l. et Clint. fast. Hell. (ed. Kr.) sub a. 332 (de expugn. Tyri). Omissis verbis »κατὰ τὴν ὁμώνυμον ἡμέραν καὶ τὴν αὐτὴν ὥραν« haec temporis definitio, quippe a Timaeo profecta, digna est, quae omnino probetur. Sed iterum Aem. Muellerus laudato Xenophonteo loco (Hell. II, 3, 5) — suspecto quidem, ne jam spurio dicam — Xenophontem, qui Gelae expugnationem non modo anno belli 28. (i. e. anno 404), verum accuratius etiam auctumno ejus anni attribuisset, tantopere errasse, non potest sibi persuadere (l. l. p. 48). At nonne Diodorus (vel Timaeus) multo accuratior et copiosior fuit, quum c. 108 ἀρχομένου τοῦ θέρους et infra κατὰ τὴν ὁμώνυμον ἡμέραν κτλ. et c. 109 ἡμέρας εἴκοσι annotaret? Tum Muellerus Xenophonteam temporum notationem ab ipso Diodoro asseverat quadam ratione confirmari. Examinandum igitur, quomodo id comprobaverit. Computat vero, si eadem aestate, qua Dionysius tyrannus factus sit, Gela et Camarina captae essent, hanc rem illi Diodorum statim fuisse subjuncturum. Quod equidem non negabo: sed Dionysium hieme tyrannum esse factum certissime constat. Deinde Diodorum pergit ad res in Graecia gestas c. 97 transeuntem belli Peloponnesiaci exitum ennarrare, tum demum c. 108 ad res Siculas redire et Gelae expugnationem, quamvis Alexiae archontis anno i. e. aestati 405 attribuisset, nihilominus post finem belli Peloponnesiaci factam statuisse. Nihil vero facilius est, quam quod discrimen videtur tantum removere. Diodorus enim more suo, id quod virum doctissimum fugit, historiam uniuscujusque anni ita scribit, ut una serie res in Graecia

barbarorum neque Hannibalis principiis et regulis usus. Dividere enim exercitum, ut altera pars exercitum Graecorum auxilio venturum arceret, altera omni vi urbem oppugnaret, noluit [1]), quum certe non ignoraret, victoria reportata urbem parum munitam defendi non posse, quumque exercitum suum quam integerrimum proprio hujus expeditionis fini, Syracusarum obsidioni, putaret conservandum esse.

Gela prope abfuit a mari [2]) propiusque etiam a cognomini flumine rapido [3]). Agri ad eam pertinentes ab oriente agro Camarinaeo finiebantur, occidentem versus usque ad Ecnomum montem extensi erant [4]) atque longius etiam ad septentrionem usque in montes ipsos [5]). Quorum pars optima erant celeberrimi illi vastique campi Geloi, tritici fertilissimi, qui in utraque ripa a septentrionali urbis latere siti erant [6]). Magna antea

---

et ad oras Asiae gestas ad finem perducat, tum demum ad res Siciliae Italiaeque transeat vel permutato ordine ex his rebus enarrandis orsus ad res in Graecia gestas sese convertat certis quibusdam formulis et locutionibus adhibitis (cf. p. 58 n. et 59. Quas formulas minime eam vim habere, ut idem tempus indicent, sed nihil esse, nisi transitum oratorium, tam innumeris exemplis comprobatur, ut ne unum quidem adhibeam. Ceterum illa verba (c. 108) μικρὸν δὲ τῆς εἰρήνης ὕστερον ad Darei dumtaxat mortem pertinent, non ad res Siculas, ad quas transit solitis verbis »κατὰ δὲ τὴν Σικελίαν.« Sed si vera esset Muelleri computatio, tamen ex ipso rerum nexu summa difficultas nasceretur. An tu cum Muellero existimas, Himilconem aestate 405 Agrigentum funditus evertisse nec tamen Gelam aggressum esse? Quid enim eum perfecisse putas ingenti exercitu, quem ad sustinendum magna pecunia magnoque victu in diem opus erat? Ubi eum tandem iterum hibernasse putas? Lacuna textus subest nulla: optime omnia inter se cohaerent. Vides igitur, quo tandem Muellerum Xenophontei loci tuendi studium corripuerit.

[1]) Id Hannibal non solum ante Agrigentum et Himeram, sed etiam ante Selinuntem fecerat, cf. Diod. XIII, 54.

[2]) Ex tota Diodori narratione apparet, majus intervallum, quod solus Ptolem. III, c. 4. negat, inter urbem et mare non fuisse, sed tantum tamen, ut exercitus agere posset.

[3]) Ex eo, quod in Callimachi fragm.

οἱ δὲ Γέλα ποταμοῦ κεφαλῇ ἐπικείμενον ἄστυ

ἐπικείμενον, non παρακείμενον usurpatum est, D'Orvillius concludit urbem non ad ipsum fluvium sitam fuisse; ac sane ad ostium ipsum sita non fuit, quum non fuisset ad mare. De ipso fluvio Ovid fast. IV, 470:

»praeterit . . . et te, vorticibus non adeunde Gela.«

Fortasse etiam vox »immanis« apud Verg. Aen. III, 702 ad flumen, non ad urbem referenda est.

[4]) Thuc. VII, 58. Diod. XIX, 104.

[5]) Computationem vide ap. D'Orv. l. l. I p. 130.

[6]) Campi enim (πεδίον ap. Diod.) a Siculis et equitibus percurruntur; ad orientem eos spectasse, e serie, quae est ap. Verg. III, 701. sq. colligitur; versus occidentem longe fuisse extensos e Diod. XIX, 109. Ipsa Gela in Aeschyli epig. sepulc. πυροφόρος appellatur.

urbis potentia et amplitudo efflorescentibus maxime Syracusis[1]), quibus inde celebres illi duo tyranni venerant, valde comminuta erat, ita ut urbs secundariam tantum dignitatem obtineret, opulenta quidem commercio, sed parvi in rebus insulae momenti, Syracusanis fere subjecta, praeterea parum munita. Quare cives quum barbaris advenientibus omni auxilio externo carerent, urbem quamvis fortissime defensam tamen diu resistere non posse arbitrati feminas et pueros Syracusas mittere decreverunt. Supplicantibus autem feminis id non perfecerunt; atque omnes pro viribus urbem nunc defendere certabant. Viri, qui arma ferre poterant, hostes, ubi timendum erat, ne murus machinis deleretur, arcebant; senes, feminae, pueri pone murum locis infirmis novos aggeres exstruebant: fiebant etiam eruptiones in Poenos nimis secure in planitie depopulantes, quorum haud pauci, regionis ignari, capti aut interfecti sunt[2]).

Tandem Dionysius, postquam socii Syracusas convenerunt, urbem reliquit Gelae auxilium laturus, non tam suo studio ac voluntate stimulatus, quam voce populi, quem gentilium infortunatorum vehementer miserebat. Aegre vero peditum, conductis mercenariis multis, XXX milia coëgit, quae Daphnaeus quoque anno praeterito habuerat, et mille tantum equites: non nemo enim sociorum tyrannidem exosus domi remansit; non pauci Syracusanorum iique opulentissimi castellorum praesidio remoti erant[3]). Classis vero magna vulgi multitudine rei navalis perita facile impleta ad numerum L navium longarum creverat, a quibus in rebus gerendis haud nihil exspectabat Dionysius auxilii atque praesidii[4]). Qui quum prope

---

[1]) Herod. VII, 156.

[2]) Diod, XIII, 108.

[3]) Quod inprimis e numero equitum elucet, quum anno praeterito V milia fuissent.

[4]) Diod. XIII, 109. Hoc quoque loco generali illi traditioni, Dionysium — ὡς μέν τινες — L hominum milia secum duxisse, alteram Timaei computationem praefero, quippe quae singularum exercitus partium numeros accuratius definiat et cum rebus postea gestis optime consentiat. Neque verisimile est Graecos tyranno majore numero et promptiore voluntate auxilio venisse quam anno praeterito urbi liberae. E ratione porro, qua Diodorus utrumque nuntium componit, procul dubio elucet, et ipsum hoc loco de numeris Timaei auctoritatem agnovisse. Jam vero si Timaei numeros probo eosque in hanc dissertationem simpliciter recipio, hoc non eam ob causam facio, quod credam eos omnino recte se habere, sed quia, quamvis et ipsi sint a Timaeo ex arbitrio computati, proxime tamen a veritate absunt. Nam ejus quoque nuntii satis offensionis praebent, quum v. c., quandocumque Poeni denuo bellum parassent, semper C milia hominum ab ipsis coactos tradat, quibus semper accessissent XX vel XXX milia sociorum Siculorum (cf. Diod. XIII, 54. 59. XIV, 54.). Atque hoc etiam in annum 406 cadit, quamvis Diodoro non expressis verbis testante; quum enim hoc uno bello

Gelam venisset, castris item ad mare positis maximam exercitus partem, militem gravis armaturae, omnino integram servavit, ut si Himilco urbe oppugnanda et exercitu disponendo faciliorem aggrediendi occasionem dedisset, omni vi ex uno loco hostes adoriretur. Copiae expeditae interea praedantes repellebant; equites et naves a tergo Cathaginiensium occidentem versus versabantur, ut commeatum ex eorum dicione venientem interciperent. Sed ne id quidem Himilconem e castris munitis elicuit; impetum enim a Dionysio fieri cupiebat, quia, sive uno sive pluribus locis ille aggrediebatur, commoda tamen penes ipsum erant, quum e parvo interiore orbe facilius, ubicunque vellet, magnas copias dirigere vehementesque impetus facere posset. Ita uterque circiter viginti dies explorando et observando trivit.

Tum vero Dionysius, qui exercitus voluntate coactus esse videtur, castrorum opportunitate relicta hostem adoriri decrevit. Sed locum pugnae non bene eligere et constituere potuit. Intererat enim tum urbem servare, tum, si ipse fugaretur, praesidium et receptaculum invenire: id vero sola urbs praebebat. Hostium collocatio, terrae proprietas, urbis situs, ratio exercitus, praecipue vero superioritas maritima, singularum manuum conjuuctio, celeritatis in re gerenda difficultas: ea omnia etiam atque etiam erant consideranda. Ne multa: rationes proeliandi omnino novas invenire necesse erat et adhibere. Itaque Dionysius peditatum in tres partes divisit, quibus diversis viis contra hostium castra proficiscendum erat. Sinistrum cornu e Graecis Italis maxime constans secundum oram maritimam proficisci jussum est, ita ut urbem a manu dextera haberet; dexterum, Syracusani et socii e Sicilia, urbem ab altera parte circumire; media eaque mercenariorum acies, cui ipse Dionysius praeerat, per urbem contra machinas Poenorum erumpere. Peditatui praesidio erant equites et naves. Illi enim simulac proelium coepisset, trajecto flumine hostes, si recederent, adoriri, sin vincerent, regressum dextri maxime cornus tueri sunt jussi: classi vero, quae Italos adjuvare receptumque eorum, si necesse esset, aliquatenus tueri poterat, praeterea imperatum, ut simulato appulsu oculos hostium ab Italis appropinquantibus averteret et proelium inciperet[1]. Quodsi omnes exercitus partes jussa recte faciebant et simul ubique adoriebantur, tum sane exercitus barbarorum, praesertim quum ejus castra ad mare aperta essent, summo in periculo

---

socii Poenorum Siculi, quos semper habuerunt, non enumerentur, certe toto numero CXX militum milium (Diod. XIII, 80.) jam comprehensi sunt.

[1]) Diod. XIII, 109.

erat. Atque classis quidem et Itali se invicem tam valide juverunt, ut Iberis et Campanis, qui contra eos positi erant, repulsis trans fossam in ipsa castra irrumperent. Quum autem dextrum cornu et media acies, quorum longior via erat, non tam mature advenirent, quam exspectatum fuerat, et Gelenses quoque, urbi suae temere et nimis caventes, breve tantum spatium ab urbe proficiscerentur et haud ita multum Italos juvarent, hi superiore hostium numero oppressi via per vallos periculosissima repulsi sunt; plurimique certe periissent, nisi classis fortiter hostes a persequendo prohibuisset; itaque mille hominibus occisis in urbem confugerunt. Dextrum quoque cornu Libyes primo vicit et in castra usque persecutum est; quum autem Italis fugatis Campani atque Iberi cum Carthaginiensibus illis auxilio advolassent, ipsum sexcentis militibus interfectis in urbem est repulsum. Media acies, quae aegre tantum per vias urbis usque ad munitiones ante eam exstructas repserat, omnino sero advenit atque pugnae particeps non facta, id quod postea Dionysio opprobrio versum est [1]), in urbem se recepit. Eodem confugerunt equites, qui receptui praesidio fuerant.

Quum ita consilium in irritum cecidisset, quaerebatur, quid jam esset faciendum. Primo impetu inferior Dionysius sperare non poterat, fore, ut iterum Poenis superveniret; ad castra eorum munita obsidenda ipsius copiae non sufficiebant; contra si barbarorum superior multitudo ipsum ex insperato adorie-

---

[1]) Nieh. l. l. p. 20 n. 4 prorsus non dubitat Dioynsium proditionis accusare; causis vero ejus assentiri minime cogor. Unum errorem, cui maxime innititur, refellam; opinatur enim Dionysium, de imperio et salute jam desperantem, propter clandestinam Poenorum amicitiam, acceptis ab illis mercenariis, servatum esse. Hoc non traditur a Diodoro, sed Dionysium Campanis quantumvis pecuniae promisisse, ut animos eorum a Poenis averteret (Diod. XIV, 8 extr.); peractis vero, quae debuerant, statim eos dimisisse, quum quam perfidi et corruptu faciles essent, ipse modo comperisset (Diod. XIV, 9). Quum secundo bello — id quod Nieh. praetera affert — Dionysius insciis Syracusanis Himilconem, quem perdere poterat, incolumem se recipere sineret, res prorsus aliter constitutae erant. Tunc enim Dionysius tyrannus, cujus imperium firmatum erat, bello superior pacem Graecis utilem, a Poenis postea non agnitam, cum Himilcone fecit, quamquam sane crediderim eo consilio eam factam, ut Graeci barbarorum metu non omnino liberarentur. De pugna Gelensi Todtii potius conjecturas (l. l. p. 10) probo; et quid de Dionysii post pugnam agendi ratione sentiam, ipsi narrationi intexam. Culpa nulla pars libera erat: Himilco propter collocationem inter urbem, fluvium, mare; Dionysii exercitus, quod singulae ejus partes in exsequendis imperatis, quibus victoriam reportari potuisse initium pugnae ostenderat, non stricte et concinne egerant; maxime vero Geloi, qui, prorsus ut anno praeterito Agrigentini, urbi suae nimis caventes debita non fecerant.

batur, quum Gela aperta non satis praesidii praeberet, timendum erat, ne cum civibus ibi obsideretur et a Syracusis intercluderetur. Praeterea ne suis quidem civibus satis fidere poterat; atque si defecissent, quominus cum mercenariis in patriam rediret, facile prohiberi et ita a duabus partibus impugnari poterat. Sin Syracusas ab Atheniensibus jam frustra oppugnatas se recepisset, majore animi tranquillitate, quid hostes facturi essent, exspectare poterat, praesertim quum classis praesto esset, quae victus et auxilia suppeditaret. Quare confestim concilio amicorum convocato decertandum eo loco non esse, sed urbem Gelam, quae ne jussa quidem satis exsecuta esset, deserendam decrevit, civibus fugae potestatem faciendam, statim recedendum[1]). Ut autem Himilco de hoc consilio deciperetur, praecone misso qui breves indutias cadaverum sepeliendorum gratia peteret, duo fere milia expeditorum per totam noctem ignes conservare et tumultuari jussit, quum urbis incolae circa primam vigiliam, ipse cum copiis suis circa mediam noctem Gela deserta Camarinam proficiscerentur. Ejus quoque oppidi cives cum propinquis et quae per festinationem secum auferre possent, patria relicta exercitum sequi coacti sunt, ut Syracusas transmigrarent. Camarina enim etiam minus idonea, quam Gela videbatur[2]), unde iter hostium impediretur. Quum denique postridie mane duo illa expeditorum milia Gelam deseruissent, barbari, quid factum esset explorato, urbem occuparunt, ut fugientium persecutione neglecta spoliarent sueto more[3]).

Graecorum vero maxima pars contra Dionysium, quum iterum duae Graecae urbes eaeque paene sine ulla pugna hostibus traditae essent, odium contraxit flagrantissimum; nec fieri poterat, quin iisdem proditionis criminibus, quibus duces priores perdiderat, jam ipse, etsi clam tantum, ab adversariis incusaretur, omnesque colligerentur causae, quae tali suspicioni patrocinari videbantur. Commemorabant igitur, quamdiu in ferendo auxilio cunctatus esset, mercenariorum neminem occisum, fugisse eum sine causa, quum magnum detrimentum non accepisset, et quod gravissimum esset, neminem hostium perse-

---

[1]) Dionysii mos erat, quum in campo res male gesserat, Syracusas redire (cf. Diod. XIV, 7. 55. 60. 61. 96.). Quae non est ignavia, sed prudentia temporum necessitate exacta. Quum enim contra exercitus barbarorum numero longe superiores omnia uno proelio in discrimen vocare non liceret, commeatu impediendo belloque ducendo vires eorum attenuandae erant (cf. XIV, 96.), praesertim quum haud ignoraret civium suorum fidei se fidere non posse (XIV, 7—10. 41. 44. 45).

[2]) Diod. XIII, 111; cf. Xen. Hell. II, 3, 5. Camarina ad laetum florem pervenire non potuit, quum saepius diruta esset. Tunc nondum LX annos denuo condita fuit. Thuc. VI, 5. Diod. XI, 76.

[3]) Diod. XIII, 111.

qui. Quamquam barbaros ne antea quidem umquam esse persecutos, sed semper praedam tantum relictam cupide nec impedientibus ducibus corripuisse, id nemo commemorabat. Atque Graeci Itali iterum primi ab exercitu se sejunxerunt et domum redierunt. Equitis vero Syracusani, acerbissimi Dionysii inimici, jam tanquam ipsis diis propitiis ultionis tempus diu exoptatum advenisse putabant. Itaque quamvis pauci, nec conqueri nec vociferari tantum decreverunt, sed tyrannum in ipso reditu interficere; quod si factum esset, fore sperabant, ut multitudo perturbata facinore comprobato ipsos sequeretur et rursus duces eligeret. Quum autem Dionysius insidiis penitus perspectis a mercenariis, qui illius nece suum quoque commodum periclitari suspicati summa cum diligentia eum custodiebant, sese non sejungeret, non haesitanter cuncti Syracusas properarunt, ut tyrannum urbe arcerent. Quo quum venissent, facile a parvo praesidio admissi, quia nemo de rebus ad Gelam gestis et de ejus proditione jam certior factus erat, statim urbe occupata facinus ejus modi ex composito patrarunt, quo, quum postea omnino fieri non posset, ut unquam quisquam cum tyranno in gratiam rediret, unusquisque ad urbem omnibus viribus atque ipsa vita contra eum defendendam incitari deberet. Confestim enim domo Dionysii occupata thesaurum publicum, quem ille eo contulerat, spoliarunt uxoremque ejus, quam, quum Hermocratis filia esset, etiam magis oderant, tam foede tractarunt, ut mox ipsa, ne tali dedecori superstes esset, mortem sibi conscisceret[1]). Ut autem reliquis Syracusanis hanc agendi rationem comprobarent, confabulabantur Dionysium, quum inter ipsum et barbaros convenisset, primo simulasse Gelam ob pugnae eventum esse deserendam, deinde poenae fortasse metu perterritum in ipso reditu fuga salutem petivisse. Atque quum omnes magno in angore et perturbatione versarentur, facile effecerunt, ut ne ii quidem, quibus Dionysius urbis praesidium commiserat, sibi resisterent. Jam si omnia quae ad urbem contra Dionysium defendendam necessaria erant, comparassent, huic sane omnia metuenda erant. Sed stolide confidentes vulgus in exercitu exemplum suum esse imitaturum, a Dionysio defecturum eumque adeo expulsurum, ut antea, ita tunc se demonstrarunt temporibus non sufficere, quum Dionysius, simulatque eos profectos comperit, statim quid rei esset perspiciens optime atque rectissime sibi caveret[2]).

---

[1]) Diod. XIII, 112. XIV, 44; ubi Diodorus quidem nihil dicit nisi τῆς γυναικὸς αὐτοῦ . . . . . . ἀνῃρημένης, sed supplentur haec Plutarchi narratione in vit. Dion. c. 3.

[2]) Diod. XIII, 112.

Confestim exercitum iter praecipitare jussit; ipse vero electis fidelissimis, sexcentis peditibus et centum equitibus, exercitum praevertens, ut ea ipsa nocte seditiosis superveniret, quum uno itinere CCCC. fere stadiis confectis circa mediam noctem ante portam Achradinensam venisset clausam illam quidem, sed non custoditam: quamquam copiae non omnes sequi potuerant, tamen non cunctanter arundinem e locis propinquis collatam et ante portam exstructam inflammari jussit, qua re et porta combusta et aditus urbis patefactus est. Interea quum ii quoque, qui remanserant, adventassent, cuncti Achradinam ingressi in foro demum impediebantur, ubi pauci equitum de subito impetu certiores facti sese festinanter collocaverant. Sed mercenarii numero superiores cinctos trucidarunt, quod idem omnibus accidit, qui paullatim singulas turmas componentes in viis resistere conabantur. Domus quoque suspectorum omnium eadem nocte pervestigatae, ii qui maximam culpam contraxerant, ipsi interfecti, alii urbe expulsi sunt, adeo ut caede, quum prima luce totus exercitus adveniret, jam confecta et urbs denuo subjecta esset.

Gelensium autem et Camarinaeorum fugitivorum metus atque odium in Dionysium hac strage adeo auctum est, ut spreto ejus hospitio non Syracusas, ubi nova obsidio imminebat, sed Leontinos se conferrent, quod tyrannus tunc prohibere non potuit[1]). Magis magisque enim exercitus ipsius comminuebatur: ii quoque qui ante complures annos Leontinis Syracusas transmigrantes civitate donati erant nobilesque locos obtinebant[2]), tunc Dionysio deserto in patriam redierunt, ut a reliquis Graecis adjuti ab ejus imperio se liberarent et denuo propriam civitatem conderent[3]). Equitum autem quicunque caedem effu-

---

[1]) Diod. XIII., 113.

[2]) Δυνατοί et δῆμος tum dissenserant; et optimates, quamquam Syracusanorum ope vicerant, tamen postea ipsi cives se Syracusas contulerunt. Quum vero nonnulli eorum mox redirent et cum multitudine (τοῖς πολλοῖς) expulsa rursus paciscerentur, maxima tamen pars Syracusis remansit. Thuc. V., 4. VI., 50. Prorsus errat Büchs., quum ad Xen. Hell. II., 3, 5 adnotat: »die Leontiner hatten sich früher dem Dionysios ergeben und nach Syrakus übersiedeln müssen.« Nam res, quam ad Diod. XIV., 15 provocans commemorat, secundum Diod. postea (a. 403) accidit.

[3]) Quod ut demonstremus, Xenophonteo tantum loco niti possumus: Hell. II., 3, 5. At ille spurius est! Sane. Sed interpolatorem non de re, de tempore tantum errasse, p. 19 et saepius jam annotavimus; quam ob rem ne miraberis quidem, cur res, de qua agitur, falso hic ad sequentem annum relatassit. Sed Wess. ad h. l. Leontinos demum post pacem factam et propter eam defecisse putat; cui sententiae vel maxime repugnat — quod apud Xenophontem Leontinorum defectio cum

gerant, evitantes urbis vicinitatem in castellum quoddam ad Aetnam montem situm, cui postea ipsi Aetna nomen inditum est, se contulerunt[1]).

Dum igitur Dionysius Syracusas defendendas curat, Himilco, nisi fallimur[2]), eum persecutus est, ut urbem oppugnaret. Sed quum morbus ille saevus, qui jam praecedente anno exercitum ejus comminuerat et tunc propter ardorem solis et castra ad humiles Anapi ripas posita et hominibus nimis referta denuo gravior ortus erat, plus dimidio copiarum ejus perderet, interrupta victoriarum serie coactus est ultro cum tyranno de pace agere[3]). Quam ille semet saltem et imperium suum servatum cupiens libentissime concessit. Itaque tandem constitutum est:

1) ut Carthaginienses praeter veteres colonias suas etiam fines Sicanorum possiderent;
2) ut Selinuntii, Himerenses, Agrigentini, Gelenses, Camarinaei vectigali Poenis solvendo urbium suarum rudera rursus occupare et non munita incolere possent[4]);

---

seditione equitum quasi conjuncta sit, taceo — quod urbis autonomia quam vocant in pacis condicionibus expresse commemorata est. Diod. XIII., 114. Equitum igitur nobilium seditio clam latius patuisse, quam e Diodoro cognoscitur, atque illos sane nobiles Leontinos praeter alios complexa esse videtur; qua oppressa illi quoque Syracusas evitandas duxerunt. Denique ita tantum intellegitur, quomodo tam pauci viri, quos Diodorus commemorat, ad rem adeo temerariam conspirare potuerint.

[1]) Diod. XIII., 113. Xen. Hell. l. l. In Diod. cod. falso Ἀχραδινήν scriptum fuit pro Αἴτνην, quam genuinam lectionem esse Wess. e Diod. XIV., 7. 58 demonstravit. Cf. praeterea XIV., 9. 14. Xenophonteo illo loco legitur Κατάνην, quam lectionem Büchs. sine ulla dubitatione recepit et explicavit; sed etiam hanc falsam esse elucet e Diod. XIV., 14. 15. Calami vero lapsu facillime oriri potuit.

[2]) Apud Diodorum XIII. inter c. 113 et 114 lacunam esse Nieb. l. l. III. p. 112 sq. primus indicavit. Cujus sententiae de rebus, quae interciderunt, ego omnino assentior, quum Grot. V. p. 673 n. 14. suspicetur pestilentiam jam eo tempore ortam esse, quo Himilco ad Gelam versabatur. At si Carthaginienses Syracusas non obsedissent, tum non intellegitur, cur Dionysius in pace facta vel Leontinos ipsos ex dicione sua dimiserit.

[3]) Clarius quam Diod. XIII., 114 et Plato (epist. VIII. p. 353 b.), qui non dijudicat, utrum dii an duces urbem servaverint, vetus summarium Graecum loquitur, ap. Wess. pag. 541: „ὡς Καρχηδόνιοι λοιμικῇ νόσῳ περιπεσόντες ἠναγκάσθησαν συνθέσθαι τὴν εἰρήνην πρὸς Διονύσιον τὸν τύραννον.“ Utraque igitur pars aeque pace egebat. Dubium vix est, quin gravis illa pestilentia eadem fuerit, quae anno 406 (cf. p. 72. n. 7).

[4]) Nieb. l. l. p. 22 pacis condiciones non recte tradit, omittens particulas μὲν-δέ, quod idem Sieferto accidit in proll. ad Plut. Timol p. 5.

3) ut reliquae omnes urbes Graecae, praecipue Leontini et Messana, omnesque Siculae civitates indigenae leges suas ipsae constituerent;
4) ut Dionysius Syracusarum tyrannus maneret;
5) ut omnis praeda omnesque captivi redderentur[1]). —

Haec pax, quae posteriore fere auctumni a. 405 parte facta est[2]), et victis et victoribus perniciosa, duobus tantum viris, qui exercitibus praefuerant, commoda paravit. Himilco enim quamvis rudera tantum ingentis exercitus reduceret, gloria tamen bellica ornatus quum Carthaginem rediisset, pristinum familiae suae nitorem et honores, id quod jam Hannibal coeperat, in integrum restituit. Dionysius vero quamvis male bellum gessisset, tamen hostibus gravissimis repulsis imperioque a Carthaginiensibus agnito potentiam suam confirmatam vidit; praeterea inhonesta hac pace, id quod vehementer exoptabat, tempus adeptus erat non tam ad damna civitatis resarcienda, quam ad novos grandesque apparatus instituendos. Graeci vero detrimenta acceperant immensa: quinque urbes florentissimae non libertatem tantum, sed opes quoque amiserant et dirutae erant, et Syracusani, superbi insulae domini, quinque annorum spatio miseriam subierant et e liberis civibus servi erant facti. Sane quidem maxima culpa penes ipsos erat: nam apparuit non majorem barbarorum numerum aut ducum eorum praestantiam, sed morum corruptionem, disciplinae militaris depravationem, patriae amorem paene exstinctum, factiones intestinas, denique vero majus illud insanumque vulgi imperium, cujus Diocles erat auctor atque unius hominis ambitionem et semet ipsum provehendi studium causas illius sortis fuisse. Neque meliora expectari poterant; nam etsi illud, quod unus nunc rei publicae praeerat, salutare erat, moribus tamen ejus et ratione, qua rerum potitus erat, pax et tranquillitas

---

[1]) Tunc etiam de commercio foedus Carthaginiensibus utile factum videtur, cf. Diod. XIV., 46.

[2]) Grot. V. p. 673 bellum aest. a. 405 finitum statuit; quod, quum mense Augusto demum Dionysius Gelam et Camarinam deseruerit, fieri nequit; Nieb. (l. l. III. p. 212 sq.), Wachsm. (griech. Alt. I. p. 266), Nieh. (l. l. p. 22), Aem. Muell. (l. l. p. 49) sequente anno 404. Quum autem pestilentiam tunc, ut semper, calidis aestatis diebus (cf. supra p. 72 et Diod. XIV., 70) constet ortam esse, quumque ea potissimum Himilconem pacem facere coëgerit, statuere possumus, Carthaginienses etiam post Gelam captam nonnullos menses in insula moratos esse, de hiemando autem barbaros adeo afflictos et numero comminutos non cogitasse. Praeterea pacis violationes, quas Dionysius statim a 404 commisit (Diod. XIV., 7 sq.) nimis celeres et incautas fuisse quisque intelleget, si ille re vera a. 404 demum pacem iniisset.

non extra omnem dubitationem erant positae. Sed ne Poeni quidem frui victoria poterant; nam perniciosus ille morbus, quem exercitus redux intulerat, et in urbe et apud socios saevissime grassabatur et saepius redibat[1]. Accedebat, quod in ipsa Africa indigenae graves seditiones faciebant, nescio an propter magnitudinem eorum, quae bello Siculo ab iis postulata erant, adeo ut Himilco plane in iis opprimendis esset occupatus[2]. Unde etiam intellegitur, quomodo fieri potuerit, ut pacis violationes, quas Dionysius mox manifesto commisit, magnosque ejus apparatus, quos inferendo bello fieri nemo non perspiciebat, omnino neglegerent Carthaginienses.

---

[1] Diod. XIII. 114, XIV. 41. 45. 47.

[2] Sequitur hoc e Polyaen. V., 10, 1—3; nam bella Himilconis ibi commemorata gesta esse non possunt nisi inter bellum Siculum primum, quod modo enarravimus, et secundum, quo cum dedecore finito Himilco sibi mortem ipse intulit. Ceterum Libyes post gravia Carthaginiensium bella semper fere seditiones fecerunt.




VITA.

Fridericus Aemilius Voelkerling in Saxoborussiae vico prope ad Martisburgum sito, cui nomen est Niederbeuna, natus sum d. XVIII. mens. novbr. anni h. s. XXXVI. patre Friderico, matre Johanna, quibus adhuc vivis laetor. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primordiis domi imbutus et a viro cl. Wieckio a. L. in gymnasium Martisburgense receptus, per septem annos et dimidium ad humanitatis studia eruditus sum. Auctumno a. LVII. quum maturitatis testimonio instructus et ab ill. Mollio, rectore magnifico, civibus academiae Halensis adscriptus essem, scholas adii doctissimorum virorum Bernhardyi, Leonis, Schalleri, Tholuckii. Insequentis anni auctumno Gryphiswaldiam me contuli, ubi ill. Haesero fasces academicos tenente inter cives academicos receptus horum vv. ill. scholis interfui: Georgii, Hertzii, Schaeferi, Schoemanni, Susemihlii. Sed in gravissimum morbum postquam ineunte anno LX. implicitus sum, ut usque ad ver incipiens jacerem, tandem rebus domesticis coactus privatum magisterium subii, quo quum per tres annos essem functus, vere a. LXIII. Gryphiswaldiam reversus et ab ill. Bardelebeno in civitatem academicam iterum receptus vv. ill. Baierum, Georgium, beat. Hasertum, Hoeferum, Hopfium, Michaelem, Schaeferum, Schoemannum, Usenerum audivi. Quibus viris omnibus optime de me meritis quantam debeam gratiam, nunquam sane obliviscar. Singulari vero benevolentia ill. Schaeferus studia mea adjuvit, quum per tria semestria seminarii historici essem sodalis; nam is quum in fontium historiae Graecae et Romanae cognitionem me introduxit, tum antiquae et patriae historiae tractandae methodum me docuit. Jam auctumno a. LXIV. praeceptoris munus Cruciburgi, in urbe Silesiae superioris, suscepi; quo quidem functus per tres fere annos, quamvis studiis meis minus temporis ibi relinqueretur, Vratislaviam transmigravi, ut dissertatione historica prorsus confecta gradum doctoris capescerem. —

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Contra Diodorum XIV., 54 sq. contendo Himilconem a. 396/5 Messanae hibernasse et aest. 395 demum Syracusas obsedisse.
2. Quae Dionysius intra a. 403—399 perfecit, ea a Diodoro falso ita narrata sunt, quasi uno anno essent gesta.
3. Cum Haesero contra ceteros medicos contendo pestem illam, quae a. 406. 405. 395 inprimis in Libyum castris grassabatur, non eandem esse atque ullam earum, quae nunc sunt.
4. Nuntiis, qui de Timoleontis victoria ad Crimissum reportata et de pace sequenti feruntur, non omni ex parte fides habenda est.
5. Graecos mythos in historiam converti posse nego.
6. Apud Gualtherum p. 82, 16 (ed. Lachm.) scribendum puto:
   nû stant alsô noch eine wîle »ich bîte.«

Voelkerling, Fridericus
Aemilius
De rebus siculis ab
Atheniensium expeditione
usque ad prioris belli
punici finem gestis


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 13 22 11 09 010 1